

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
**GENIO MORBORUM
EPIDEMICO**

PRIMI SEMESTRIS ANNI MDCCCXXXIII.
VINDOBONAE OBSERVATO,

QUAM

SENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI

PRAESIDIS AC DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

Rainerus Eques a Schmerling,

Viennensis.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
die 1. Martii 1834.

V I E N N A E.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

MAGNIFICO

ILLUSTRISSIMO AC CELEBERRIMO

DOMINO DOMINO

LUDOVICO LIBERO BARONI

A TÜRKHEIM

MEDICINAE DOCTORI

AUGUSTISS. IMPERAT. A CONSILIIS AULIC.,
CAESAR. REG. DELEGATIONIS AULIC. PRO STU-
DIIS ASSESSORI,

STUDII MED. CHIRURGICI VICEDIRECTORI PRIMO,
INCLYT. FACULT. MED. ATQUE SOCIETATIS
OECONOMIAE RURALIS MEMBRO ORDINARIO,

ACADEMIAE SCIENTIARUM ET ARTIUM PATAVINAE, SOCIE-
TATIS PHYSICO-MEDICIN. ERLANGENSIS, NEC NON ATHE-
NAEI VENETI SODALI HONORARIO,

SOCIETATIS MEDICO-BOTANICAE LONDINENSIS
MEMBRO CORRESPONDENTI,

ANTIQUISSIMAE AC CELEBERRIMAE UNIVERSITATIS VINDOBO-
NENSIS PRO ANNIS 1817 ET 1829 RECTORI MAGNIFICO
SUMME EMERITO

V I R O

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA NEC NON

HUMANITATE AEQUE INSIGNI

MEDICO AESTIMATISSIMO AC DIGNISSIMO

**IN ANIMI GRATI, PERENNIS VENERATIONIS, SINCERIQUE
CULTUS MONUMENTUM PIA MENTE HASCE LITERARIAS
PRIMITIAS OFFERRE AC CONSECRARE AUDET**

devinctissimus Auctor.

Vir Excellentissime!

Quae ex longo jam tempore impetu-
tuosus fervor jussit, et venerationis,
et grati in Te animi verba, publice
fateri sat diu occulta teneri voluit fa-
tum, donec tandem studiorum va-
stum curriculum prospera sorte e-
mensus, quum augustissimae artis
propylaea trepido ingredior animo,
solennem hancce diem, qua me san-
ctissimi in Te officii haud immemo-
rem exhibere queam, beatam prae-
dico.

Quod si millenos et humanitas
Tua insignis, et sapientia, et merita
de civitate, innumeris comprobata
argumentis moverint, ego certe non
inter ultimos ero, qui me ad ultimum

usque halitum pro illis, quae in me meosque contulisti, perennem confiteor debitorem. Qua enim cura, qua solertia, quo amore et avum et genitorem ex funestissimis morbis olim eripuisti, et ad tumulum usque sapienti Tua manu fovebas, intimas cordis fibrillas adeo commovebant, ut nulla umquam deletura sit oblivio. —


Accipe igitur Vir Clarissime qua soles et clementia, et indulgentia primos hosce utcunque tenues litterarum academicarum fructus, nec in futurum favorem Tuum deneges

P r a e f a t i o.

Quae a Celeberrimo et Doctissimo Directore ac Doctore Francisco Güntner singulari benevolentia, ac humanitate mihi data fuit venia, divisiones nosodochii universalis ejusdem auspiciis concreditas, visitandi, sequentibus paginis ansam et originem dedit. Quae enim a principio in meum usum solummodo notavi, et ad morborum historias, et ad genii regnantis characterem, et ad therapiae sagacissimae effectum respicientia, adnuente eodem Clarissimo Viro publici juris facere haud haesitavi. Nollem, uti in prologo solent, virium tenuitatem, aut thema ipsum selectum excusare. Primum, quum a medico tirone, limites praxeos vix tangente, perfectum aliquid aut omnibus numeris absolutum vix expectetur, alterum quum inter reliqua dissertationum argumenta mihi quam maxime arrideat. Experientiae enim medicae

campus vastissimus est, et medicina rationalis, quae cum empiria casta ac religiosa manu sororia incedit, genuinas et attentas observationes, quocunque ex ore venerint, non respuit, quum saltem ad nosographiam quidpiam augendam symbolam suam haud denegent.

Ex his dulcem spem foveo, fore ut haec breviter et concinne collecta omnis frugis haud expertia reperiantur.



— Si quid novisti rectius istis
Candidus imperti, si non, his
utere mecum.

Horatius.

J a n u a r i u s.

Quae mensi praegresso agrum contristarunt nebulae densae, autumnii potius languentis, quam rigidi hiemis imaginem nobis offerendo, exeunte Decembri sub spiramentis Vulturii (S. O.) dissipatae coeli faciem serenam diu desideratam nobis induxerunt, quae crescente in diem mense Januario gelu rigido et maxima Barometri elevatione constabat ad diem usque 13., quo mutato vento in Circium (N. W.) modice ad finem usque flantem, decrescente subito frigore in serena rediit ac nebulosa tempestas, et praecoces veris tepores mensem claudebant, ita, ut gelu rigidum et veris tepor ejusdem mensis extrema constituerent. In genere hic mensis brevem exhibuit hiemis intensae imaginem ad priorem ejus medietatem relatus.

Media Baroscopii statio: 28." 7.'" 8.'"'

Maxima „ „ 29." 0.'" 9.'" die 9.

Minima „ „ 27." 10.'" 10.'" die 30.

Vicissitudo maxima intra nychthemera 0. 2. 10. a die 27. ad 28.

Media Temperatura 4. 57.° R.

Altissima „ + 6. 0. die 29.

Minima „ — 13. 0. die 13.

Vicissitudo maxima intra nychthemera 8. 5. a die 15. — 14.

Hygrometri media statio 83. 27.

Altissima „ „ 90. 50. — 13. die.

Minima „ „ 47. 37. — 15. die.

Vicissitudo maxima intra nycthemerum 38. 96. a die 29. — 30.

Venti dominantes Vulturnus S. O. Argestes N. W. et Lybo W. S. O.

Pluviae paucissimae cadebant die 14. superficialem efficietes congelationem.


Nives tenerae ut plurimum et parcae cadebant diebus 7. 8. 10. 27. 31. mox tabescentes.

Phases lunae diebus sequentibus ☉ 6, ☽ 15, ☀ 20, ☾ 29.

Aegrorum Nosocomium hoc mense adeuntium quantitas ingens fuit, mortuorum caterva minor.

Magna aegrorum caterva mense Januario 1831. Nosocomium implens illum mensis praesentis non adsequuta est, mortalitas autem tum temporis major et adhuc magis Januario 1832.

Aegrorum copia ab initio mensis increvit versus finem, mortuorum vero numerus ab initio versus finem decrevit.



Januar. 1833.	}	Intrarunt:	2295	Mense prae-	}	gresso	}	1790	Januar. 1832.	}	2059	Januar. 1831.	}	2151
		Dimittebantur:	1832					1523			1636			1793
		Mortui sunt:	223					176			227			239

Calculus specialis mensis Januarii anni 1833.

1. hebdom. intrarunt:	468;	dimittebantur:	381;	mortui sunt:	45.
2. — —	483;	—	356;	— —	61.
3. — —	536;	—	412;	— —	44.
4. — —	540;	—	472;	— —	48.
ultimis 3 diebus	268;	—	211;	— —	25.
Summa totalis:	2295;	—	1832;	— —	223.

Media proportionalis pro quolibet die.

1. hebdom. intrarunt:	67;	dimittebantur:	45 (55);	mortui sunt:	6.
2. — —	69;	—	51;	— —	9.
3. — —	77 (76);	—	59;	— —	6.
4. — —	77;	—	67 (68);	— —	7.
ultimis diebus	89;	—	70;	— —	8.
Media proportionalis } pro toto mense. }	74;	—	59;	— —	7.
Maximus aegrorum numerus:	110;	intravit die	29.		
Minimus — —	46;	— —	13.		
Maximus mortuorum —	16;	fuit —	13.		
Minimus — —	3;	— —	22.		

Character morborum generalis gastrico-dynamicus, quem anno elapso regnantem vidimus, et hoc mense dominium suum ultro exercens genium annum hiemalem singulari modo modificavit. Hieme enim summe saeviente, frigore siccissimo et intensissimo nulli tamen fere morbi inflammatorii Nosocomium intravere, augebatur numerus

februm nervosarum et hydropum, retardabatur decursus. Characterem lateralem rheumaticum jure nominari posse e sequentibus elucebit:

E febris rheumaticae eminebant et catarrhosae, gastricae rariores, licet nota gastrica levior tamen febris facile associaretur, febres nervosae numero multae non habebantur, et quae aderant parcae febres erant subinflammatoriae, cum aliquibus symptomatibus sic dictis nervosis ut cuti sicca, meteorismo, obnubilatione capitis noctu comparentibus, deliriis mitioribus.

Inflammationes membranas seroso-fibrosas praecipue adgredientes in lucem prodibant, pleuram, peritoneum, ligamenta articulorum praecipue infestantes, hinc copiosae pleuritides, peritoneitides et arthritides acutae; passio rheumatica ubique praevalens, catarrhosa rara, rarior pura non conjuncta rheumatica. Inflammationes phlegmonosae perrarae.

Inter exanthemata morbilli epidemice per urbem grassabantur; variolae mense Decembris anni elapsi vix extinctae denuo caput extulere, scarlatina vero rarius se obtulit.

Impetiginum (psorae) copia maxima.

Ex cachexiis phthisis et hydrops, ultima saepius quae morbus posthumus post alium praegressum acutum praesertim cutaneum (exanthema et rheumatismum) aut reconvalescentiam ex morbo gravi (febri nervosa); hinc crisis erroneam saepissime sistens.

Ex nevrosibus hystericae et hypochondriacae affectiones frequentes.

Decursus morborum lentus atque irregularis uti anno elapso et nunc pergebat, rara solutio perfecta per crisis, et si erat per urinas et sudores; lyses frequentissimae; crises erroneae praesertim ad cutem (abscessus, parotitides, furunculi) magnus in morbos secundarios nisus, hinc tarda atque otiosa reconvalescentia.

In specie febres fere numquam consueta absolvebantur periodo, sed ad tertiam aut quartam septimanam sine

ansa data protrahebantur, aut pulsus saltem sub ipsa reconvalescentia nimis celer et frequens perduravit. Febres catarrhosae praesertim amabant in phthisin transire, protracta nimium febrī et perducentibus ad pulmones congestionibus.

In rheumaticis inflammationibus lentus decursus et frequentes recidivae observatae; sudor copiosus admodum frequens non criticus. Optime iis conduxit methodus antiphlogistica strenua nonnumquam cum venaesectione et nitro, sepositis omnibus diaphoreticis.

In morbillorum epidemia sequentia notatu digna: In genere indoles epidemiae mitis, sic dicta catarrhosa symptomata ab initio raro excedebant, sed longe perdurabant et exanthemate florente et deciduo, stadio acmes eruptiones cutaneae nonnumquam ad pneumoniam intendebantur, quae venaesectione solum jugulanda erant. Epistaxes rarae, menstruorum praecox fluxus consuetus. Defurfuratio longe in plurimis penitus desideranda, in aliis imperfecta solum. Ex malis posthumis hydropem vidimus universalem, et tussim fortem longe perstantem pertussi similem, cum ejectione sputorum crassorum figuratorum.

Variolarum decursus vix alius ac mense praegresso. Status putridus raro observatus, mors sub stadio exsiccationis et crustarum formatione consuetim locum habuit.

Exposcebatur in genere therapia antiphlogistica, nonnumquam generosior praesertim in morbis pulmonum non tam ob inflammationis intensitatem, sed potius ob congestiones ad pulmones et phthiseos metum. Altera solvens-antigastrica, stimulans rarissima.

Febris inflammatoria.

Puella 17 annorum a matre eminenter hysterica nata, scarlatinam cum hydropē morbillosque perpressa, ab hisce malis perfecte sanata, praeter molestias, quas ipsi ascaris lumbricoides causavit, semper sana vixit. Initio mensis

Decembris refrigerium cepit, exinde dolores percipiens in regione sacrali cum aestu et siti; adhibito diaphoretico ille status disparuit. Errorem nunc commisit diaetetico comedens carnem frigidam, statim inde correpta fuit febris, appetitus prostratus, tussis sicca, sensus oppressionis in pectore; foris a medico cum venaesectione tractata fuerat, quin ullum inde levamen perciperet. Die 14. Decembris divisionem petiit, symptomata eminentiora sequentia: cephalaea, lingua obducta flava, ructus, vomitus partim mucosus, partim biliosus dolores prementes in regione hepatis, sitio adaucta, tussis sicca, sensus oppressionis in pectore, pulsus frequens, fortis, plenus quidquam tensus; ipsi exhibitum erat: Dt. graminis c. pulp. prunor. et nitro puro. O. 2. ho. vasc. $\frac{1}{4}$. Dt. hordei p. p. catapl. emoll. ad regionem hepatis. Perstabat idem morbi gradus per aliquot dies; dolor in hepate perstans una cum reliquis symptomatibus topicam sanguinis evacuationem postulavit, hirud. appositi mitigabant dolorem. Morbus decrevit. Altera die pulsus admodum citatus non evolutus, facies particulari modo anxia, frons calida, sitis adaucta, oppressio pectoris, cordis palpitatio, et stupor pedum. Timor ortus de hydrothorace et hydrocardia; hinc therapia antiphlogistica derivans indicabatur. Dt. graminis c. pulp. prun. et sale mir. Glaub. Congestiones ad pectus, anxietas, respiratio gravis cum metu suffocationis, tussis sicca, abolitio conscientiae per aliquot minuta durans, cor per totum pectus vehementer pulsans. Hirud. Nro. viii. ad regionem cordis. Therapiae hucusque adhibitae malum non cessavit, imo leipothymiae frequentiores, pulsus frequens, plenus, cordis palpitatio vehemens postulavit repetitam adplicationem hirudinum unacum remediis sanguinis circulum placantibus. Hirud. viii. ad cor. pulveres digit. purp. gr. β . p. d. O. 2. h. Morbus revera pertinacissimus semper increscit, simulque systema nervosum adfectum ostendit, aderat continuus decubitus in dorso ac si omnis motus impossibilis esset, torpor atque sensuum obrutio insignis, vertigo, deliria, tremores manuum, insimul, quod revera

mirandum, talis erat rigiditas corporis et pallor totius cutis, ut aegra hoc respectu nonnumquam imaginem statuae protulisset. Causam horum symptomatum nervosorum in plethora, atque in perstante congestione ad caput et pectus quaerentes, VS. ad unc. VI. ordinata fuit, simulque pulveres ex digit. et nitro O. 2 h. p. j. porrigebantur. Sanguis emissus ostendit crassam placentam, largam crustam inflammatoriam, seri copiam minorem. Topica hepatis adfectio post therapiam antiphlogisticam generosio-rem parum quidem imminuta, morbus vero universalis idem perstabat, magnus atque gravis. VS. ad unc. viii. Emulsum c. nitro et saccharo. (12 morbi dies) Vesperi febris semper major. Perterrita ab aegra vicina convulsionibus laborante, ipsa subito in clamores erumpebat conjunctos cum motibus convulsivis manuum. Sinapismis ad nucham et brachia positis, status universalis inflammatorius tamen postulavit repetitam VS. ad unc. iv. Nulla emelioratio, perstabat semper adhuc cephalaea, somnolentia insignis, facies et labia rubentes et calentes, lingua sicca, sitis magna, oppressio pectoris, tussis sicca, tremulus cordis motus, pulsus frequens, celer, plenus, magnus, duriusculus. Hicce status inflammatorius nunc majore adhuc obrutione systematis nervosi conjunctus erat, quam antea, quae sese enunciat modo per somnum profundissimum vix inde excitandum, mox per partiales illas convulsiones praesertim digitorum. Status universalis semper adhuc expectat therapiam antiphlogisticam generosio-rem, ex ea tamen causa ab hac abstinentes, quod in individuo admodum sensili continuo systema nervosum adfectum erat, et metus hydrothoracis et hydrocardiae, quem jam ab initio movimus, nondum erat penitus ablatus. In arduo hoc casu auxilium quaesivimus in calomele ipsum conjungentes cum digitali. Sopor etiamsi non in tali gradu tamen perstabat, motus spastici imminuti, hinc inde gemitus, status inflammatorius parum decrevit; cutis incepit paululum transpirare; therapiam antiphlogisticam dirigimus versus cutem, sperantes fors crisin per hanc viam


intrare. (15 m. d.) Dt. emoll. c. acet. ammon. Pulveres continuantur; ad excitandum systema nervosum sinapismi ad abdomen. Crisis per cutem non sequuta est, inceptit nunc aegra tussitare, tussis erat frequens cum nisu, sputa mucosa, tenacia, minime cocta. Huic nisu morbi sese per sputa solvendi succurrimus therapia alterante in membranas mucosas agente, praescribentes tart. emet. ref. d. Sed etiam haec spes nos fefellit neque crisis per sputa. Morbus quidem decrevit sed lentissimo passu et quidem ut saltem videtur ex defectu omnis criseos solennis. Stadio quoque decrementi symptomata illa nervosa quamvis multum imminuta perstabant sese per spasmos digitorum, et agrypniam adnuntiantia. Adparuerunt nunc iterum eminentiora symptomata inflammatoria per cephalaeam, turgorem, et ruborem faciei, linguam siccam, tussim frequentem, siccum, pulsum acceleratum duriusculum conspicua. Therapia antiphlogistica una cum derivantibus recurrentem morbum trucidavit in origine. Reconvalescentia nunc intrans lento passu progrediebatur continuante tussicula, levi statu irritativo in organis respiratoriis, sputis tenacibus mucosis; ex eo tempore celeriter decrevit morbus. Therapia antiphlogistica seposita, puellam valde consumtam in reconvalescentia per nutrientia et roborantia (lichen islandicus, trifolium fibrinum) restaurare conati sumus, quo modo aegra tandem ab illa caterva malorum et periculorum liberata sanata dimissa est.

Diaphragmatitis levioris gradus.

Puella 19 annorum in infantia sua helminthiasi et tinea vexata, ante duos annos haemoptoë laboravit, ex quo tempore omni hieme tussis modo sicca, modo cum expectoratione juncta rediit, ceterum usque ad modernum tempus semper sana vixit. Menstruis gavisa est decimo sexto suae aetatis anno, ultimo non adparuere. Ante annum praesens morbus sese adnuntiavit cum spasms ventriculi et abdominis associate vertigine et cephalaea tam ve-

hementi ut aegra concideret, adparuerunt motus convulsivi, conscientia per sex aut octo minuta abolita erat, deinde iterum redierat, relicta magna debilitate universali; paroxysmo finito aegra nullius recordabatur momenti. Tales insultus saepius de die rediere, accessere nunc cardiopalmus, oppressio pectoris, ructus frequentes, noctes inquietae, memoria debilitata. Foris ex ordinatione medici aliquod medicamen sumpsit, quod autem nullum levamen tulit. Ex adpectu epileptici vehementer perterrita malum nunc auctum mitigari sperat in Nosocomio, die 12. Januarii divisionem petiit, sequentem exhibens statum: totum caput dolet praesertim in regione occipitali sub adtactu auctum et cutis ibi infarcta, sitis parum aucta, lingua pura, respiratio ex omni parte libera, nulla vestigia febris, abdomen plenum insigniter sensibile praecipue in regione scrobiculi atque in inferiori diaphragmatis parte. Sub lenissimo harum regionum tactu insultus provocatus est ostendens perfectam et conscientiae et sensuum abolitionem (sub insultu neque audit neque videt quamvis apertis oculis et pupilla dilatata), pulsus sub insultu frequentior et parum inaequalis, nulla spuma ante os, neque aliqua mutatio quoad cutis temperaturam. Inspiratione profunda solutus erat insultus, qui per unum, duo minuta durans ab initio omni fere minuto etiam sine tactu rediit; post insultum pulsus erat liberior et lentior. Prodromi constabant in vertigine atque cephalaea occipitali pungente, quae citissime sequebatur insultus. Ex dolore continuo fixo sub pressione vehementer aucto, ex pulsu fortiori pleniori ad statum subinflammatorium concludimus, hinc therapia antiphlogistica derivans indicata erat. Cucurbitae sanguineae ad scrobiculum cordis, Dt. emoll. c. sale Seignetti et aqua laurocerasi. Therapia bene convenit. Insultus rariores et breviores, illa sensilitas tamen perstabat altius adscendebat ad cartilagineam xiphoideam, pressio in hac regione statim insultus provocavit. Ad revocanda menstrua pediluvium ordinatum est, post illum insultus frequentiores erant, menstrua provocata parca, mox emansere. Sta-

tus de die in diem melior evadit, insultus multo rariores solum sub rudiori pressione revocandi; ob perdurantem sensilitatem in regione scrobiculi hirud. sex ad hanc regionem ordinavimus. Localis depletio optimum exseruit effectum, nunc non amplius etiam fortiori tactu insultus provocatur. Aegra extra lectum versatur, solum hinc inde levi insultu hysterico correpta. Exhibuimus flores Zinci gr. β . p. d. O. h. pulv. i. medicamine seposito. Nullus amplius insultus etiam sub vehementiori pressione. Die 31. ejusdem mensis tumor insignis dolens ad peripheriam glandulae parotidis comite sat valida febris, ex refrigerio verosimiliter ortus, emollientia expostulavit. Cataplasmata emoll. ad regionem dolentem. Dt. Althaeae. Effluxus puris per aurem sinistram, tumor recedit, dolores ac febris minores. Imponatur tumori emplastr. mercur. et cicutae. Post aliquot dies plane disparuit omnis tumor et omnis puris effluxus, et quum jam per longum tempus nulla vestigia symptomatum nervosorum adparuissent, die 16. Februarii sanata domum petiit.



F e b r u a r i u s .

Totus fere mensis, exceptis paucis circa illius medium et finem diebus, nebulis erat contristatus, stillantibus sub altera illius medietate continuo pluviis et cadentibus nivibus cito diffluentibus, hinc continuus atmosphaeræ mador, et humi lubricitas, aura vero sub mitiori temperatura et imperio Favonii ac Euronoto sat miti, mollis, relaxans, deprimens, cum magna Baroscopii, temperaturæ et ventorum mutabilitate hujus mensis characterem autumnalem constituit.

Media Barometri statio: 28, 2, 4.

Altissima „ „ 28, 6, 1 die 8.

Infima „ „ 27, 6, 10 — 3.

Vicissitudo maxima intra nychthemerum 5. 9. a 4. — 5.

Media Temperatura + 2.° 96 R.

Altissima „ + 10.° die 12.

Minima „ — 1. 5. die 1.

Vicissitudo maxima intra nychthemerum 9. 2. a 11. — 12.

Media Hygrometri altitudo . . . 67. 25.

Maxima „ „ . . . 93. 89. die 4.

Minima „ „ . . . 29. 20. — 12.

Vicissitudo maxima intra nychthemerum 57. 27. a 11. — 12.

E ventis eminebant priori mensis segmento impetuosus Argestes, et mollis Zephyrus, dum reliquo mensis curriculo continua erant Vulturni spiramenta.

Pluvia stillabant diebus 9. 11. 16. 17. 20. 21. 26.

Nives cadebant „ 17. 21. 23.

Phases lunae: ☉ 4, ☾ 11, ● 19, ☽ 27.

Noctes mense in- et exeunte sub lunae imperio majori serenae fuere atque frigidiusculae, ceterae humidiores, nebulosae, inserenae.

Quantitas aegrorum ad Nosocomium hoc mense relata, tam cum mense praegresso, quam cum eodem mense annorum praegressorum comparata sequentia exhibuit resultantia:

1. Aegrorum nosocomium hoc mense adeuntium quantitas illam prioris mensis, quae immensa fuit, adhuc quidquam superavit, id quod etiam de mortuis valet.

2. Quae jam mense elapso ab initio versus finem increvit aegrorum copia ad medietatem mensis praesentis acmen nacta, abhinc versus finem decrevit, mortuorum vero copia, quae elapso mense decrevit, hoc iterum mense nova coepit incrementa eodem tempore, ubi cachexiae nosocomium inundabant.

3. Quamvis aegrotantium et mortuorum hoc mense copia sat magna esset, illa tamen ad hiemem anni 1831, quae Cholerae epidemiam antecessit, relata minor fuit.

Februar. 1833.	}	Intrarunt:	2111	Mense prae-	}	gresso	}	2295	Februar. 1832.	}	1887	Februar. 1831.	}	2220
		Dimittebantur:	2034					1832			1618			1858
		Mortui sunt:	225					223			246			273

Calculus specialis mensis Februarii anni 1833.

In 1. hebd. intrarunt:	541;	dimittebantur:	518;	mortui sunt:	44.
— 2. — —	555;	—	534;	— —	62.
— 3. — —	501;	—	483;	— —	64.
— 4. — —	514;	—	499;	— —	55.
Summa totalis:	2111;	—	2034;	— —	225.

Media proportionalis pro quolibet die.

In 1. hebdom. intrarunt:	77;	dimittebantur:	74;	mortui sunt:	6.
— 2. — —	79;	—	76;	— —	9.
— 3. — —	72 (71);	—	69;	— —	9.
— 4. — —	73 (74);	—	71;	— —	8.
Media proportionalis } pro toto mense:	75 (76);	—	73;	— —	8.
Maximus aegrorum numerus:	97;	intravit die	14.		
Minimus — —	64;	— —	27.		
Maximus mortuorum —	16;	fuit —	18.		
Minimus — —	2;	— —	6.		

Character morborum hoc mense regnans inflammatorius *gastrico-rheumaticus* fuit, ita quoad tempus modificatus, ut ab initio mensis indoles morborum inflammatorio-rheumatica praevaleat adnexa solum nota gastrica, ad finem mensis vero recedentibus affectionibus rheumaticis, gastricae exsurgerent.

Febres rheumaticae simplices, inflammationes ejusdem generis pleurae, peritonaei frequentes, rariores articula-

tionum; hinc inde occurrentes catarrhosae affectiones membranam Schneiderianam, mucosam laryngis, bronchiorum occuparunt.

Febres nervosae rarissimae aequae non sincerae. Cuti siccae, calenti, linguae spurcae, siccae, deliriis murmurantibus, meteorismo non respondebant pulsus moderate frequens utcumque vicens, virium muscularium vigor, excretionum restrictio. Febres intermittentes, quae mense praegresso plane non observabantur, numero paucissimae, tertianae, infarctibus viscerum abdominalium non conjunctae sat facile sanandae. Gastricus morborum character ad finem mensis magis emergens frequentioribus diarrhoeis, vomitu hinc inde faciliori, febribus gastricis copiosioribus sese manifestabat. Quodsi mensis hic cum priore quoad genium morborum comparatur, Februarius decrementum aliquod characteris inflammatorii, incrementum gastrici exhibuisse invenitur.

Ex exanthematibus epidemia morbillosa eodem tenore uti antecedente mense perdurat, scarlatina fere numquam occurrebat. Indoles epidemiae morbillosae hoc mense etiam sat mitis erat, sic dicta catarrhosa symptomata ab initio non excedebant, magis stadio acmes exasperabantur. Defurfuratio aut plane nulla, aut saltem imperfecta. Inter posthuma mala tusses vehementes diu perstantes, cum sputis puriformibus suspectis saepius; hydrops vero rarius, observabantur. Variolae rariores, earum decursus benignus, quantitas vix decrevit, casus maligni et lethales pauci. Inter cachexias phthisis et hydrops iterum caput suum extulerunt, hydrops hoc quoque mense saepius qua posthumum morbi acuti praecipue exanthematici aut rheumatici.

Nevrosium numerum explebant affectiones hypochondriacae, hystericae, et hinc inde tussis convulsiva adparuit.

Morborum decursus paulo acceleratior et regularior, conamina critica luculentiora quam tempore eodem anni

prioris, ast per se consideratus lentior et non regularis morborum decursus dicendus fuit.

Solutio quaedam perfecta per crism raro occurrebat, et si quaedam acciderat iterum per urinas turbidas, cum levi sedimento, aut sudores; nisus ad crises erroneas rarius ac mense elapso, frequens transitus in morbos secundarios, lenta atque protracta reconvalescentia.

In specie febres amabant decursum lentum atque protractum, saepe ad quartam usque septimanam extendebantur, febres catarrhosae et rheumaticae praecipue pertinales, recidivae frequentes. Eodem modo res se habuit in inflammationibus praecipue rheumaticis singulari nisu in recidivas notatis.

Therapia fere eadem uti mense Januario moderata antiphlogistica, hinc inde solum generosior praesertim in adfectionibus pulmonum, ob genium inflammatorium intensiorem, congestiones ad pulmones praevalentes, et inde praeponderantem nisum in phthisin.

Consuetim et optimo cum effectu in usum vocabatur:

Solvens — antigastrica. Stimulantibus rara patuit occasio. Febres nervosae, affectiones nervosae variae methodum alteratim exposcebant; inde frequens et faustus dosis refractae Ipecac. usus.

Hydrops pulmonum.

Die 30. Januarii susceptus erat in divisionem famulus 37 annorum, qui novies jam pneumoniam superasse, et ante 3 dies denuo in eandem morbi formam incidisse retulit, quam ob rem venaesectio et reliquis adparatus antiphlogisticus in usum tracta jam fuerant, absque tamen sufficiente levamine aegri.

Facies tumidula, pallidior, decubitus in dorsum praedilectus, ad latera nec diu nec absque molestiis concessus, respiratio parva non dolorifica, laboriosa, inspiratio sibilans profundior cum majore sibilo et acquabili thoracis

expansione conjuncta, tussis frequens, brevis ut plurimum sicca, sputa rara serosa, sensus ponderis per omnem thoracem expansus, sonus obtusus sub percussione ubique pectoris perceptus, pulsus mollis, relate ad constitutionem aegri minor, urinae vix magis tinctae, parcae, mucosae, febrilia symptomata minora pro serosa jam jam facta in textu celluloso pulmonum collectione pugnarunt. Huic diagnosi superstructa therapia antiphlogistica excretionem alvi et minarum promovens (Dt. alth. cum cremore tartari et oxym. scillae) non solum omnem notam inflammatoriam morbi abstersit, sed et urinarum copiam auxit, et sensum ponderis in pectore sonumque sub inspiratione sibilantem minora, tussim rariorem, respirationem liberiolem, decubitus ad latera faciliorem reddidit. Rebus ita constitutis 8. Febr. cum Dt. Alth. et oxym. scill. in scopum roborandi pulmones conjungebatur Dt. tenue polygalae amarae. Sub hac therapia morbus rapide decrevit, urinarum copia ad plures libras de die aucta. Ast aeger incautus 12. Febr. noctu refrigerio admissio pleuroperipneumoniam sibi contraxit, quae, non obstante statim adhibitis cataplasmatibus emollientibus ad pectus et medicamine nitroso celeriter magna incrementa cepit. Intendebatur therapia sanguinis detractioe tum universali, tum locali. Venaesectiones, quarum binae per biduum instituebantur respectu ad priorem morbum habito, minores ad unc. sex, septem, sanguinem ab initio spissum crusta inflammatoria non tectum, ultimo autem eadem crassiore instructum evacuarunt.

Primae venaesectioni et hirudinum adplicationi levamen insequabatur transitorium, ultimam excepit imminutio turgoris et caloris symptomatum in genere febrilium, verum symptomata pulmones inflammatos concernentia non nisi pro tempore imminuta brevi denuo insurgabant, augebatur praesertim respirationis difficultas, oppressio pectoris, tussis sicca, accessere anxietas, suffocationis et mortis timor. Vesicans largum pectori impositum; pulv. folior. digit. purp. quibus deinde hydrargyrum muriat. mite conjun-

geretur, prioribus medicaminibus adjiciebantur, ut, quantum fieri posset, infausta transsudatio averteretur. Impedimenta respirationis continuo incresebant, lineamenta faciei mutabantur, extremitates frigidae tangebantur, et ita mors 19. Febr. scenam clausit.

Sectio tracheam et bronchios multo mucō obductos, pulmonem sinistram maxima parte cum pleura concretum, substantiam ejus friabilem griseo-rubescens, summe oedematosam ostendebat. Pulmo dexter toto ambitu lymphae coagulatae strato ad lineam crasso obtectus, pariter oedematosus inveniebatur. In dextro thoracis cavo libra una seri turbidi, floccis lymphae coagulatae mixti stagnavit. Cor cum vasis crusta lymphatica sat magnae consistentiae tectum, ipsius substantia ad lineam crassitiam quoque praerubra, carni coctae similis inflammata. Reliqua organa normalia.

Bronchitis catarrhosa.

Ancilla 17 annos nata, nullo adhuc tentata morbo, menstruis ex refrigerio suppressis, febris correpta fuit cum doloribus pungentibus in latere sinistro pectoris, et respirationis difficultate. 18. Februarii in divisionem susceptae statim vena secatur ad unc. VI. hirud. VIII pudendis applicantur, cataplasma emoll. pectori et genitalibus imponuntur, interne nitrosa exhibentur. Inflammationis signis quovis momento incrementibus altera V. S. statim subsequo die instituitur, quam non quidem levamen morbi, attamen ejectione sputorum insequitur; quae vero ejiciebantur frusta erant lymphae coagulatae ad 3 pollices longa, membranacea, lacinias referentia, coloris albescentis, consistentiae tenacis, omni respectu figuram bronchiorum cum ramificationibus suis prae se ferentia, haud magna virium intentione ejicienda, hinc leviter solum bronchiorum parietibus externis adhaerentia.

Excedentem hunc nisum plasticum considerantes pertinaciter methodo antiphlogisticae strenuae insistebamus,

interne calomelen a gr. β . p. d. praescribentes, et venam intra nychthemera quater (3. ad unc. VIII., 1. ad unc. VI.) tundentes. Morbo nihilominus ultro tramite suo progrediente, febris continuante, pulsu tamen suppresso minimo, sputorum indolis memoratae ejectione minora post intervalla perseverante, calom. dosis ad gr. I. p. d. augeatur digitalis gr. β . p. d. adjungendo, et septima ($\frac{7}{8}$) ad unc. VI. instituitur V. S. simul inunctiones cum unguento mercuriali cinereo ad extremitates o. 3. h. instituuntur. Febris vis quidem tantillum erat fracta, continuavit tamen ultro exsudatio lymphae coagulabilis in bronchiis, arduae nonnumquam ejiciendae, hinc, ut et plasticus lymphae nisus minuatur, expectoratio vero, etiamsi per vomitum promoveatur, solutionem tart. emet. gr. IV. in unc. VI. aq. destil. propinavimus, ut omni $\frac{1}{2}$ hora unum aegra capiat cochlear.

Vomituritiones exinde ortae, sed non vomitus; attamen pulsus mollior reddebatur, respiratio profundior et tranquillior, expectoratio facilior lymphae minus ac antea formatae, urinae copiosae sedimentum gerunt.

Ex quo tempore in orbem ultro decrescentem laeti observavimus, quum minora semper lymphae coagulatae frustra aegra, longioribus simul intervallis nunc ejiceret, a bronchiorum forma magis magisque recedentia, febris continuo decrescente. Tantum vero abfuit, ut pari tramite reconvalescentia progrediretur, ut potius nulla nota causa data novum impetum morbus moliretur ($\frac{2}{3}$) tussi frequenti, sputis sanguine tinctis febris exacerbata, cui tamen, tartaro stibiato seposito, V. S. ad unc. VI. et medicamine nitroso statim occurrimus. Qua turba superata, reconvalescentiam denuo intrantem et pari, quamvis admodum lento passu progredientem vidimus. Id tamen peculiare stadium decrementi prae se tulit, quod summus semper in bronchiis ad plasticas formationes vigeret nisus, qui levissima solum ansa data per pulsum tensum, suppressum et sputa lymphae coagulatae, licet non formatae et minima in quantitate, se manifestavit, quare saepius coacti fuimus me-

thodo leniter roborante omissa ad antiphlogisticam levio-
rem recurrenti. Tandem aegra 19. Maji penitus sanata e
divisione exivit.

Infarctus hepatis et lienis.

Ancilla 60 annorum constitutionis quoad aspectum
torosae, obesa, in Ungariae regionibus paludosis quovis
anno per aestivum tempus degens, ante quinque annos
febri intermittente corripiebatur, cujus posthumis, infarc-
tu hepatis et lienis, extincta jam feбри, ultro molestaba-
tur. Ante quinque menses dyspepsia vexari coepit et variis
digestionis molestiis, quibus non multo post oedema pe-
dum se associavit; mox disparet oedema, et tumet abdo-
men, mox oedema redit; detumescit abdomine, sicque al-
ternat abdominis tumor et pedum. Anxia tandem de salute
19. Januarii intrat divisionem nostram, ubi sequentia patho-
gnomica nobis innotuere:

Corporis bene pasti pinguis volumen majus, tempera-
tura normalis, cutis siccioris color ex pallido-flavo-viri-
descens, vires musculares mediocres, caput liberum, vul-
tus languens, tristior, oculi splendentes, lingua muco
brunescente obducta, hypochondrium utrumque plenum,
duriusculum, tumidum, tumorum extensio ob volumen et
crassitiem abdominis non distinguenda, regio scrobiculi
cordis ad attactum parum sensibilis, fluctuatio in abdomine
vix aliqua percipienda, cutis in extremitatibus infarcta,
respiratio libera, pulsus omni respectu normalis suis
qualitatibus colori cachectico non respondens, sub omni
corporis motu facile accessit vertigo, et leipothymia; ex-
cretiones urinarum et alvi segniorum. Momenta anamnesticum
praesentibus symptomatibus juncta infarctum hepatis et
lienis notabilem chronicum cum tendentia in anasarca et
ascitem extra dubium ponere videbantur, differebat tamen
casus a consuetis hujus morbi formis pallore cutis et fa-
cile accedentibus vertigine et leipothymia.

Opponebatur therapia solvens porrecto Dt. taraxaci ex

unc. I. par. ad lb 1. cum tart. tartar. et oxym. sci. aa. unc. β . Perstantibus adductis symptomatibus urinae largiores, color cutis magis cachecticus evasere. Medicamini dr. β . trifolii fibr. addebatur, tart. tart. dein ob alvum exortam diarrhoicam cum infuso rhei chinens. commutabatur, et hypochondria saponem communi soluto inungi jussimus. 24. Januarii post comesta pridie aliquot pruna cocta, sensus pressionis in ventriculo, nausea, tandem vomitus materiae ab initio viridis acidae acris, serius pruna non digesta continentis, oritur praeterea febris cum pulsu quidquam tenso. Ex hocce momento vomitus ad finem vitae usque continuavit, 4. Febr. accessit diarrhoea, qua aequae materiae prunis similis sub doloribus ad anum summis excernebatur. Sub his rerum circumstantiis sordibus eliminandis primo opera navabatur; verum brevi solum indicatio vitalis eo magis explenda fuit, quoniam et materia excreta nec quantitate prunis comestis responderet, nec qualitate aequaret amplius, sed particulas referret lieni dissoluto similes debilitas successive increvit, et pallor tantus evasit, ut aegra exsanguis videretur. Levissimum quemque motum lipothymia exceptit.

Exhausta 15. Febr. placide expiravit. Symptomata ultimo tempore observata continuo de haemorrhagia interna monebant; ast in excretis nulla sanguinis vestigia reperiebantur, et volumen abdominis caeterum indolentis excepto scrobiculo cordis idem mansit.

Sectio cadaveris musculos fere consumptos ostendebat, telam adiposam contra ubique summa adipis quantitate refertam, ita ut muscoli exiles ubique crasso adipis tegmine fuissent obvoluti. In cerebro aliquot drachm. seri, pulmones in infimis lobis solum quidquam seri exhibuere. Cor magnum, externe multo adipe obsessum, substantia marcida et laxa, ipsius parietes multum attenuati et in materiam adipocerae similem conversi, valvulae mitrales ossificati, aorta ad originem dilatata. Hepar praegrande, ejus substantia pallida, marcida, pertexta massa quadam frequenti lardacea tuberculosa, propriis folliculis inclusa ex

magnitudine nucis avellanae ad magnitudinem ovi anserini, lien, pancreas, et omenta maxima adipis quantitate oblecta.

Ventriculus aëre expansus membranam mucosam incrasatam ostendit, in interna autem pylori regione stratum obtulit aequalem griseo-albicantem, tenacem fere lardaceam. Intestina tenuia et crassa fere vacua, contracta, pallida materiam faeculentam continentia, folliculi adiposi ad intestinum rectum, telam integram adiposam formantes et totum intestinum vaginae ad instar circumdantes. Anastomoses vasorum nullibi detegebantur, hinc haemorrhagiae internae suspicio, quam fovimus ex colore cutis cereo et excretis nigris, autopsia non firmabatur. Vasa tamen fere omni sanguine destituta reperiebantur.

Ex hisce in cadavere inventis mutationibus vix dubium superest, nisum plasticum abnormem, metamorphosim progressivam imminutam morbi mortisque causam sistisse, degenerationesque substantiae hepatis tempore reliquis priores fuisse.

M a r t i u s .

Martius hoc anno a norma deflectens, non siccus, sed humidus fuit, pluviis nivibusque dives, aura serena raro exhilaratus, ventosus, frigidus, variabilis, ingrattissimus. Ordiebatur vero imbri copioso vernali, nebulisque, quas recedente temperatura nives exceperunt tenerae; circa mensis dimidium a 15.—19. sub spiramentis Vulturii dies aliquae serena; mox vero Zephyrus in Circium mutatus a 19.—24. hiemale reduxit coelum, nives scilicet et glaciem; ultima tandem septimana flante Euronoto amoeno serena ac calida fuit veri adulto similis.

Media Barometri statio: 28." 1.'" 10.'"'

Altissima „ „ 28." 6.'" 8.'" die 5.

Minima „ „ 27." 9.'" 4.'" die 1.

Vicissitudo maxima intra nychthemerum 0. 4. 7. die 20.

Media Thermometri statio: . + 4.° 10. R.

Altissima „ „ . + 14. 0. R. die 30.

Infima „ „ - — 3. 0. die 21.

Vicissitudo maxima intra { + 7.° 3. R. } die 18.—19.
 nychthemerum { - 1. 71 R. }

Medius Hygrometri status: 61. 80.

Altissimus „ „ 97. 58. die 31.

Infimus „ „ 12. 61. die 26.

Vicissitudo maxima intra nychthemerum 51. 10. a die 14. — 15.

Ventus hoc mense regnans fuit Vulturii, cum Circio varians et Austro.

Nives cadebant diebus 3. 10. 12. 13. 20. 21. 22. 23. 24.
 Pluviae „ „ 1. 2. 3. 4. 10. 12. 13. 19. 20. 21.
 23. 30.

Phases lunae fuere ○ 6. ☾ 13. ☉ 21. ☽ 28.

Noctes ut plurimum serenaе, quietae, amoenaе fue-
 re exceptis quibusdam algidissimis intra 20. — 24.



Martius 1853	Intrarunt:	2276	Februar. 1853	2111	Martius 1852.	2059	Martius 1851.	2396
	Dimittebantur:	2035		2034		1787		2099
	Mortui sunt:	277		225		273		354

Calculus specialis mensis Martii anni 1833.

In 1. hebd. intrarunt:	558;	dimittebantur:	478;	mortui sunt:	64.
— 2. — —	544;	—	452;	—	74.
— 3. — —	481;	—	452;	—	54.
— 4. — —	464;	—	475;	—	51.
Ultimis 3 diebus	229;	—	178;	—	34.
Summa totalis:	2276;	—	2035;	—	277.

Media proportionalis pro quolibet die.

In 1. hebdom. intrarunt:	80;	dimitteb.:	68;	mort. sunt:	9.
— 2. — —	78;	—	64; (65)	—	10. (11)
— 3. — —	66;	—	64; (65)	—	8.
— 4. — —	69;	—	68;	—	7.
Ultimis 3 diebus	76;	—	59;	—	11.
Media proportionalis } pro toto mense }	73;	—	65; (66)	—	9.
Maximus aegrorum numerus;	111;	intravit die	5.		
Minimus — —	50;	—	20.		
Maximus mortuorum numerus:	14;	fuit —	29. — 30.		
Minimus — —	5;	—	7. 20. 22. 27.		

Ex hoc calculo elucet:

1) Quod numerus aegrorum hoc mense nosocomium adeuntium idem fere fuerit ac mense elapso, mortuorum tamen caterva multo major.

2) Aegrorum quantitas ab initio hujus mensis sat eximia, versus finem decrevit, mortuorum tamen numerus

semper sat magnus ab initio et versus finem mensis praecipue invaluerunt.

3) Multo minor fuit numerus aegrorum eodem mense anni praegressi ad nos venientium, et eadem mortalitas.

Genius hujus mensis in genere rheumatico-catarrhusus erat accedente in morbis singulis nota gastrica ita tamen, ut ab initio mensis magis catarrhoso-rheumaticus ex priori mense superstes adhuc nobis obviam veniret, mense decurrente rheumaticus¹ et exeunte gastricus potissimum evectus fuisset.

Quae mense Februarii primum tenuere locum febres rheumaticae multo minori quantitate hoc mense visae, favente vero, praesertim dimidio mense tempestate frigida, ventosa, pluviis nivibusque justo ditiore iterum frequentius in lucem prodire. Catarrhosae frequentiores ac elapso mense et frequentiores etiam quam rheumaticae praesertim mense ineunte apparuere non raro cum symptomatibus inflammationis membranae mucosae narium, faucium, aut laryngis et tracheae stipatae, longe plurimis in casibus therapiae antiphlogisticae diapnoicae facile cedentes. Catarrhi vero sine reactione febrili frequentes observantur pertinaces, non raro spasmodicam prae se ferentes indolem et pertussi similes. Ipsa haec tussis convulsiva frequentius visa, sed mitis. Gastricarum febrium uti et affectionum gastricarum affebrilium copia magna imo major ac mense Februarii et biliosam magis ostendentes indolem praesertim versus finem, quarum decursus lentus, reconvalescentia tarda observabatur. Vomitus et diarrhoeae in his frequentes raro criticae. Facile in febre biliosa hepatis affectio ad hepatitidem augebatur ita, ut harum numerus major ac consuetim hoc mense fuisset, nec icterus deerat symptomaticus crebrior, quam mense Februarii.

Nervosae frequentiores quam mense elapso, quin aliquid memoratu dignum in illarum decursu observaretur.

Intermittentium visae sunt tertianae et quartanae, quae ultimae relictae adhuc erant ab auctumno praegresso. Nu-

merus haud notabilis, decursus mitis, paroxysmi facile jugulandi.

Inflammationum indoles et copia eadem ac mense elapso. Phlegmonosa indoles penitus desiderabatur, rheumatica longe frequentissima, catarrhosa rarius visa. Pleuritides frequentiores pneumoniis, peritoneitides vero praesertim in feminis crebrae vix non semper cum levi intestinorum affectione inflammatoria conjunctae. Metritides rariores. Inflammatio rheumatica articularum numero et intensitate decrevit. Eresypelata rara. Variolae non multum frequentes, nec peculiare quid prae se ferebant. Morbilli extensione multum imminuti, sed protrahebatur decursus, tussis praecipue perstat et non raro pulmones periclitantur. Defurfuratio solennis rarissime observanda. Observabatur superatis morbillis pneumonia, quae venaesectioni cessavit, et hydrops universalis activus cum hydrocardia et hydrothorace, quae favente natura medicatrice diureticis et antiphlogisticis post paucos dies profligabatur. Scarlatina perrara.

Colicae observabantur frequentes gastricae et spasticae nonnumquam vehementissimae et enteritidis fere faciem induentes, facile tamen sanatu.

Ad haemorrhagias tum pulmonum, tum uteri magna proclivitas observanda erat.

Phthisicorum clades summa, nec non hydropicorum et marasmo laborantium mors frequens et celer.

M o r b i l l i .

Puer 14 annorum, habitus scrophulosi, hucusque semper sanus, die 3. hujus mensis tussi infestabatur cum exorta insimul pectoris oppressione, dedolatione et oculorum ardore, quae symptomata subsequo die feбри comitabantur symptomatibus catarrhosis et feбри 6 $\frac{1}{2}$ die auctis. Septimo hujus mensis 4. morbi eadem die, qua Nosocomium intravit, exanthema prorupuit, maculas referens laete rubentes, rotundas pulicum morsum vix superantes usque

ad magnitudinem lentis, parum elevatas supra cutem, in facie, pectore, atque extremitatibus praecipue florentes. Morbum pro morbillis declarantes exanthemate bene vigente therapiam leniter emollientem diapnoicam adhibuimus. Dt. Alth. c. Roob Samb. Exanthemate bene florente 5. et 6. morbi die symptomata catarrhalia magna vi insurgentibus vias respiratorias insigniter adgredientia, oppressio pectoris, respiratio brevis, citata, tussis brevis pneumonica, sputa parca, pulsus plenus, fortis, duriusculus; quae symptomata pro adfectione inflammatoria organorum respiratoriorum loquentia indicabant therapiam antiphlog. generosiore. Instituebatur V. S. ad unc. iv., medicamini addebatur nitri puri dr. β . (12. Mart.) Sanguis emissus phlogisticus crusta inflammatoria erat tectus. Attamen aeger levamen transitorium solum exinde persensit, adfectio pulmonum perstabat eodem tenore, pectus ultro opprimebatur cum tussi frequenti, sicca, et febris valida, sonus autem sub respiratione singularis observandus erat, ac si densus in istis viis haereret mucus. Quare insignem praeter pneumoniam perstantem adfectionem laryngis et bronchiorum inflammatoriam adesse collimantes hir. Nro. sex ad laryngem ordinavimus et vesicans ad pectus. (14. Mart.)

Ob inordinatum circulum et ortas inde insignes ad pectus congestiones digit. in pulv. exhibuimus gr. β . p. d. O. 3. h. Huic therapiae malum quidquam cessavit symptomata quoad intensitatem quidquam minora apparuere; febris, tussis frequens adhuc aegrum molestarunt, sed sputa cocta quasi puriformia ejiciebantur phthisicis similia, quae in morbillis critica esse videntur; urinae mittebantur turbidae cum sedimento mucoso, sudor largus prodiit exanthemate simul imminuto. Die vero 16. congestiones iterum ad pectus majores evadunt, quin causa innotuisset, augetur oppressio pectoris, sputa tinguntur sanguine, pulsus tangitur magis tensus, febris exacerbat. Exanthemate jam multum disparente, defurfuratio tamen admodum parca, etsi 13. jam esset morbi dies, ita ut vix in facie aliqua ejus adessent vestigia. Denuo ad V. S. unc. vi. confugimus reliquis conti-

nuatis; quam revera insigne est sequutum levamen, respiratio liberior reddita fuit, tussis frequens quidem adhuc perstabat, sed non tam brevis quam praegressis diebus, sono isto pneumonico destituebatur, sputa multo minus tincta, cocta iterum purulentis similia evadebant, pulsus mollior liberior tangebatur, urinae copiosae sanorum sine sedimento missae (20. Mart.) Conspicuum morbi decrementum in plenariam reconvalescentiam mox transgrediebatur nullo novo symptomate amplius turbata, ita ut solo Dt. Alth. amplius utens, die 9. Aprilis sanus dimitti tuto potuisset.

Carditis chronica.

Juvenis 16 annorum, habitus scrophulosi, constitutionis firmae, temperamenti sanguinei ante duos annos haemoptoë laboravit; ex quo tempore sub quolibet fortiori corporis motu cardiopulmo vexabatur sub labore adaugendo et hinc inde cum dolore pungente ad dextrum thoracis latus conjuncto. Ex quatuor hebdomadibus malum exasperatur sine ansa data, delassatio, auctus cardiopalmus cum tussi frequenti aegrum coëgerunt Nosocomium petere. Ipsum adeuntes invenimus: faciem rubentem, turgentem anxietatem quandam exprimentem; pulsum moderate frequentem, aequalem, tensum, non concordantem cum pulsationibus cordis, congestiones ad encephalon, cor in majori circumferentia vehementer pulsans ad secundam usque costam obtusius sonans, levia caeterum symptomata gastrica, abdomen sensile, alvum diarrhoicam, linguam obductam, saporem mucosum.

Ad infringendam majorem systematis sanguiferi activitatem praescripsimus: Dt. emoll. c. nitro puro. Altera die pulsationem cordis adauctam invenimus non solum tactu sed et visu distinguendam, sonum pulsationis obtusum. Turbae in toto circulo, habitus aegri et physiognomia, congestiones ad caput, augmentum symptomatum post quemlibet motum pro cordis vitio aperte loquebantur, cu-

jus naturam in chronica inflammatione quaerendam esse non haesitavimus. Prognosim et ob mali naturam et ob longam durationem faustam statuere non ausi sumus. Ad compescendam abnormem cordis activitatem ordinavimus: hirud. Nro. X. ad regionem cordis, pulveres ex digit. et nitro. (22. Febr.) Post adplicationem hirudinum pulsatio quidquam pro tempore imminuebatur, mox autem iterum adaucta conspiciebatur, persentitur pulsatio in toto pectore dextro et sinistro, magis tamen in superiore cordis parte, et aorta descendens quoque pulsans invenitur. Therapia sedulo continuata sensim morbum decrescentem observavimus, pulsus manuum et tandem cordis synchronici evadebant, ictus ipse cordis non tam alte adscendebat congestionibus simul minoribus aeger ipse de meliori sibi gratulabatur statu. (2. Mart.) Perstabant tamen semper ictus frequentiores et extensio quoque pulsationis major, nec leves defuere recidivae, quiete corporis tamen mox compescendae. Seposuimus pulveres (10. Mart.) perstante continua remissione, et observationis causa adhuc per aliquot tempus apud nos retentum die 23. Martii non sanatum, sed in statu meliori dimisimus.

Peritonitis puerperalis.

N. N. netrix, femina 19 annorum, constitutionis tenerae ad praesentem usque morbum semper sana fuit. Ante quatuor hebdomades peperit sat facile subsequa tamen haemorrhagia uteri, cum secundinae utero firmiter adhaerentes arte solvi debuissent. Ab hoc tempore ob debilitatem semper lecto adfixa erat, infantulum per duas hebdomades lactavit, ob majorem tamen debilitatem et pectoris dolores ipsum ablactare coacta fuit, ex quo momento pectoris dolores cessarunt; per totum tempus lochia regulariter fluxere, vires parumper solum rediere. Ex 4. hujus mensis post pullum avidè comestum et vinum incaute ingestum, dolores abdominis sat vehementes super totum abdomen expansos non intermittentes, imo intensitate sen-

sim sensimque auctos persensit, cessabant lochia, insequatur vomitus biliosus, exardescit febris. Ex hirudinibus regioni dolenti apposis nullum levamen. Tali statu nobis die 5. Martii apportabatur. Sub visitatione inveniebamus praeter febrim activam sat intensam omnia peritonitidis symptomata, dolores scilicet scindentes, urentes, vehementes in tota abdominis circumferentia fixos, constantes motu quovis et levi tactu adaugendos, abdomen ipsum tumidum, resonans, alvum diarrhoicam aquosam, physiognomiam tristem, faciem pallidam, collapsam ut in morbo tam gravi dolorifico esse solet. Ordinavimus hir. Nro. X. ad abdomen Dt. Alth. c. oxym. simp. Pro potu Dt. Salep. Cataplast. emollientia ad abdomen. (6. Mart.) Ex investigatione simul interna instituta patuit orificium uteri clausum et tam sensibile esse, uti consuetim sub leviori uteri inflammatione. Doloribus in abdomine perstantibus hir. viii. ad regionem uteri appositi, quibus dolores quidquam imminuebantur, diarrhoea mere aquosa post clysmata mucilaginoso silebat. Doloribus imminutis tumorem invenimus supra pelvim ad umbilicum usque adscendentem ad magnitudinem capitis infantilis, durum, valde sensibilem, tactu dolorificum, uteri formam aemulantem. Inflammationem uteri simul adesse, jam ex interna investigatione patebat, sed incertum erat, unde tumor tantus an ex contento adhuc in cavo uteri (?), an ex suppuratione ovarii unius aut circumdantis textus cellulosi? febris suppurationis tamen symptomata nulla deteximus. Therapiam antiphlogisticam necessariam ordinavimus. Dt. Salep fbi. niri puri dr. β . pulv. gg. dr. i. syrupi Diac. unc. β . Pro potu Dt. Salep c. inf. liquir. Cataplast. ad regionem dolentem. Clysmata ex Dt. Salep. (8. Mart.) Dolores exinde quidquam imminuebantur, febris mitigabatur, alvus diarrhoica aquoso-biliosa adhuc ruebat. Quo in statu aegra per quatuor dies permansit. Ob diarrhoeam ex medicamine nitrum omisimus, pro potu acid. tart. porrigentes. Die 11. hujus mensis, quum nocte praegressa bene dormivisset, sub visitatione matutina uti consuetim abdomen sat miti et

moderata pressione investigabatur, vix autem digiti integumenta communia attigerunt, quum extemplo dolores orti fuissent vehementissimi ita, ut aegra ejularet, et verbis proferendis vix par, continuo in lecto sese jactitaret. Ex determinato loco, ubi manus investigans imposita erat, dolor ortus urens, vix verbis describendus, celerrime per totum abdomen expansus, non intermittens, sed constans quovis momento augebatur. Abscessum ruptum et purem in abdominis cavum effusum suspicantes, scopo palliativo-lenienti ordinavimus: Aq. flor. tiliae unc. iii. tinct. opii gtt. vii. muc. gg. unc. i. sachari albi dr. i. fomenta calida sicca, clysm. mucil. Sed omnia in cassum tentata, dolores idem perstabant, facies subito collapsa, hippocratica, extremitates frigentes, pulsus miurus, sudor viscidus, et frigidus instantaneam praesagebant mortem. Hora secunda pomeridiana finivit vitam.

Cadaveris sectio nobis obtulit corpus parvum, debile, emaciatum, cutim insigni pallore notatum. In cerebri ventriculis aliquot drachmae seri grisescentis inveniebantur, pulmones liberi, sinister in ambitu lobi inferioris cum strato lymphatico obtectus. Intestina inter se et cum omento ope strati lymphatici admodum densi conglutinata erant, inter singulas intestinorum flexuras magna copia ichoris accumulabatur, eminebat tamen ante omnia cavitas quaedam interne strato lymphatico vestita ab hypogastrio incipiens ad fundum vesicae uteri et partes laterales pelvis sese extendens, dimidiam libram ichoris summe foetentis continens; similis cavitas conspiciebatur inter posteriorem uteri parietem et intestinum rectum. Ovarium sinistrum quidquam oedematosum observatum, tuba fallopiana sinistra insertionis loco cum omento concretum, uterus quidquam major, friabilis. Caeterum nihil abnormis investiganti sese obtulit.

A p r i l i s.

Tempeſtas hujus menſis illam Martii mutabilitate, ventis et humiditate ſuperavit, ut fere quaevis dies aquam ferret, nam a 1.—11. ſub lunae imperio crescente aër ſereniuſculus, ſubſiccus pluviis raro interruptus a nebulis matutinis liber fuit, de die calor relative magnus, noctes. et diei extremitates rigidae gelu fere glaciali imprimis a die 5.—9., haec enim dies glaciem nobis adtulit, ſed erant ultima hyemis molimina, cum abhinc temperatura eo majori paſſu non interrupta ſerie progredederetur; a 12.—20. ſub lunae decrescentis imperio et infima Barometri ſtatione continuae ſtillarunt pluviae frigidulae flante plerumque Circio impetuoso, die 22. menſis ſub lunae mutatione exiguae induciae, coelum paulo ſerenius factum, pluviae cum ventis ſubſiſtebant; aſt fruſtranea ſpes, nam increſcente nihilominus continuo ſtatu Barometri peſſima tamen iterum recruduit tempeſtas variabilis, inſerena, frigido-humida, coelum in pluvias confertiſſimas diſſolutum, flante continuo Argeste modico tandem die 30. coeli facies ſerena, calor amoenus, gratus.

Medius Barometri ſtatus: 28." 1."" 6.""

Altiffimus „ „ 28." 5."" 10."" die 6.

Minimus „ „ 27." 7."" 0."" die 2.

Viciſſitudo maxima intra nychthemera 0." 6."" 1.""
die 1.

Medius Thermometri status: + 7. 21.

Altissimus „ „ + 15. 0. die 12. et 30.

Infimus „ „ + 0. 5. die 9.

Vicissitudo maxima intra nycthemerum + 13. 0. a die 13. — 14.

Ventus hoc mense regnans continuo fere Circius fuit fortiter interdum flans, praecipue initio et ad medium mensis. Nives nullae cadebant. Pluviae frequentes hac mense interdum confertissimae stillabant 2. 3. 4. 5. 10. 11. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29.

Phases lunae ☉ 4., ☾ 12., ● 20., ☾ 27.



Aprilis. 1835.	}	Intrarunt:	2722	Marius	}	1833.	}	2276	Aprilis. 1832.	}	1826	Aprilis. 1831.	}	2470
		Dimittebantur:	2116					2055			1403			2192
		Mortui sunt:	500					277			275			351
		Moribundi adl.:	22					15						

Calculus specialis mensis Aprilis anni 1833.

1. hebd. intrarunt:	434;	dimitteb.:	418;	mortui:	58;	morib. adl.	6.
2. — —	528;	—	450;	—	74;	—	2.
3. — —	567;	—	457;	—	53;	—	4.
4. — —	890;	—	531;	—	79;	—	6.
ultimis 2 diebus	303;	—	260;	—	36;	—	4.
Summa totalis:	2722;	—	2116;	—	300;	—	22.

Media proportionalis pro quolibet die.

1. hebd. intrarunt:	62;	dimitteb.:	60;	mortui:	8;	morib. adl.	1.
2. — —	75 (76);	—	64;	—	11 (10);	—	—
3. — —	81;	—	65;	—	8 (7);	—	1.
4. — —	127;	—	76;	—	11;	—	1.
ultimis 2 diebus	151;	—	130;	—	18;	—	2.
Media proport.)	} 91;	—	70;	—	10;	—	1.
pro quolibet die)							
Maximus aegrorum numerus:	172;	intrarunt die	30.				
Minimus — —	41;	—	7.				
Maximus mortuorum —	19;	fuit	29.				
Minimus — —	5;	—	3. et 5.				

Ex hoc schemate elucet :

1. Quod numerus aegrorum hoc mense nosocomium adeuntium in ratione ad mensem praegressum notabiliter et ingenter auctus sit, id quod epidemiae morbi, quem Grippe vocant, adscribendum est; idem valet simul de numero mortuorum.

2. Ad mensem eundem anni praegressi relatus hic calculus refert majorem aegrorum quantitatem hujus mensis.

Mense hoc genium epidemicum in eo mutatum vidimus, quod rheumatico plane silente et gastrico imminuto, catarrhosus tanto in gradu augetur, ut omnibus aliis morbis disparentibus, fere solum febres catarrhosae et affectiones catarrhosae in Nosocomium susciperentur. Morbum jam diu annunciatum et ex Sarmatia celeri passu appropinquantem epidemicum — Influenzam nimirum, aut Grippe (uti Galli nominabant) dimidio mense 14. — 15. intra moenia nostra prima vice conspeximus. Praeparatur jam per constitutionis morborum modificationem, quam prioribus mensibus observavimus. Characterem nempe rheumatico sensim sensimque evanescente catarrhosus magis magisque emergebat, qui nunc summum imperii fastigium ascendebat.

Scarlatina hieme elapso silente morbilli comparuere, qui genio catarrhoso magis affines censendi; quibus mense Februarii evanescentibus, affectiones membranarum mucosarum et organorum respiratoriorum modo cum, modo sine feбри praeter normam augebantur. Simul congestiones ad organa respiratoria continuo regnabant, nec praetervidendum, quod genius stationarius nervosus influxum suum in morbos exercere continuo pergeret. Ex hoc genii stationarii (nervosi) cum annuo (catarrhoso) connubio, ex sanguinis ad pulmones congestionibus tam frequentibus, ex manca characteris inflammatorii evolutione, morbum novum hunc quasi florem malignum ortum esse censeo, licet proprium influxum epidemicum ignotum adhuc negare non auderem. Singulare tamen et notatu dignum est, Influenzam easdem fere ubique vias sibi eligere, uti Choleram. Ex oriente occidentem versus migrat, easdem provincias visitatur, easdem (ad modernum tempus usque) urbes vexat.

Mense Aprili sequentibus symptomatibus sese manifestavit: Postquam per plures dies (nonnumquam fulminis ad instar praesertim de nocte) dedolatio aliqua, cephalaea,

levis coryza praecessissent, febris subito exorta vehemens cum horripillationibus per totum corpus insolitis longe durantibus, aestu magno, cephalaea vehementissima pungente, temporali, siti minori, lingua fere pura, dedolatione summa, imo doloribus ad os sacrum, femora, et suras intensis trahentibus, urinis spasticis nonnumquam, contractionibus non raro in digitis et suris spasticis. Simul mox cum, mox sine oppressione pectoris aut pleurodynia, tussis exorta, quae brevi post sputa fere puriformia exhibuit, quin tamen his solveretur. Sudor largus non semper levamen attulit, febris per 6 — 48 horas durante aeger melius se habere incepit; cephalaea enim mitigata, tussi non excedente, cum sputis largis facile excreandis, febris silente viribus vero valde infractis contra omnem cum febris vehementia et duratione morbi proportionem. Imo id singulare observandum, quod altero reconvalescentiae die debilitas multo major quam primo ab aegro sentiretur, quae admodum lente solum evanuit, remanente tussi longa cum ejectione sputorum memoratorum, cum adpetitu prostrato, sapore limoso, lingua obducta, alvo obstipata, in nonnullis diarrhoea, in nonnullis cephalaea minus longe perstante. Nec recidivae deerant, si aeger ante plenariam morbi solutionem lecto relicto denuo potentiis nocentibus sese exponeret. In feminis sensilioribus cum febris simul major affectio ventriculi spastica intravit per cardialgiam, vomitum largum imo fere cholerae speciem sese manifestans, mox vero iterum evanescens. Coryza in reconvalescentia mox per aliquot horas praesens mox iterum disparsens. His symptomatibus computatis magnam inter consuetum febrim catarrhosum et novum huncce morbum differentiam adesse negare non possumus. Est aliud initium, alius decursus, alia reconvalescentia. Symptomata prodromi, impetuosum morbi initium, horripilationum nonnumquam plenaria absentia, nonnumquam tanta intentio, duratio febris per tam breve tempus, dolores in extremitatibus spastici, affectiones ventriculi et musculorum, dejectio virium in reconvalescentia tanta

animi et mentis depressio in hac multum spastici morbo inesse luce clarius ostendunt, ita ut de indole simul spastica hujus morbi febrilis vix dubitarem. Etiam morbi propagatio non pro simplici catarrhosa indole loquuntur, nam atmosphaericis influxibus nobis notis plane non determinatur. Vidimus Viennae ortam Influenzã tempore frigidiusculo vento N. W. regnante, et tempore serenissimo calidissimo vento O. spirante summa cepit incrementa imo fastigium suum adscendebat.

Febris catarrhosa.

Ancilla 19 annorum, constitutionis robustae, sana hucusque, si encephalitidem, qua, uti narravit ante quatuor annos laboravit, excipias, 17. hujus mensis subito horripilatione interna corripitur cum subsequo aestu, pungente et pulsante vehementi cephalaea frontali, tussi sicca, dolore ardente in pectore, dedolatione universali ingenti cum doloribus simul in extremitatibus inferioribus tensivis, admodum molestis. Nosocomio die 20. Aprilis allata febrim adhuc sat validam inveniebamus, calorem adauctum, cutim modice transpirantem, pulsum frequentem, tensum, cephalaeam frontalem, vasa oculorum ardentium injecta, nares siccas, tussim siccam, linguam parum albescentem, sitim magnam, sensus ardoris sub respiratione, abdomen molle non sensile.

Morbum ex vehementia febris intrantis, ex horripilatione protracta ex singulari artuum dedolatione, et dolorum in extremitatibus tensivorum, praesertim ex affectione organorum respiratoriorum, et ex genio epidemico pro morbum catarrhosum modernum epidemicum declarantes, emollientia, diapnoica, et leniter antiphlogistica praescripsimus. Dt. Alth. ℥ j, nitri dr. β. et Roob Sambuci unc. β. Huic therapiae malum penitus et cito cessavit. Quinta jam morbi die, secunda tractaminis morbus partim per urinas partim per sputa fere purulenta solvebatur, menstruis simul comparentibus. Die 22. Aprilis et

febri fere penitus silente, et tussi solum sub profunda respiratione creata ex medicamine nitrum omittitur, continuatur adhuc per aliquot dies Dt. molliens.

Sputa vero adhuc indolem fere purulentam ostendebant, quin tamen minima in pectore remansisset molestia. Die 26. Aprilis sanata dimissa est.

Reliqui morbi vix notabiles. Rheumaticae febres vix ullae, nisi cum catarrhosis complicatae; gastricae rarae, et si erant biliosae, intermittentium admodum paucae typi tertiani visae. Inflammationes rarae catarrhosae pneumoniae, quae vero non phlegmonosam prae se ferebant indolem, sed potius congestiones ad pulmones sistebant. Hepatitis nonnumquam visa. Omnes therapeuticae antiphlogisticae moderatae, diaphoreticae solventi cedebant.

Exanthemata prioribus mensibus observata, non observabantur. Variolae numero minores, sed ad putridum inclinantes characterem. Ex cachexiis numerum phthisicorum gradu insolito auctum observamus, quod certe influxui epidemiae et genio regnanti adscribendum, simulque mors frequentissima. Ad hydropem proclivitas uti mense elapso perstitit, ipse hydrops arduus tractandus ob lentum decursum et defectum diuresis. Haemoptoë admodum frequens activa, scorbutus rarus.

Nevrosium consuetae formae nec insolitus numerus.

Decursus in genere morbi epidemici celer, aliorum morborum lentus, tardus, otiosus, crisi deficiente.

Therapia emolliens, diaphoretica, solvens antiphlogistica moderata.

Hydrops universalis activus.

Ancilla 29 annorum, refrigerio inter labores capto ante quatuor hebdomadas incepit molestari oppressione pectoris, gravitate respirationis, vomitu, horripillationibus, doloribus scindentibus in brachio dextro, et tussi sicca. Quum nec regimen, nec dietam servasset ex 14 diebus increvit oppressio pectoris praesertim ad scrobicu-

lum cordis, febris odsociatur, respiratio gravior evadit, ita ut a laboribus desistendum ipsi fuisset et lectus tenendus, ubi vero miserae erectus solum ob dyspnoeam concedebatur situs. Tandem die 29. Martii Nosocomium petiit. Invenimus individuum sat robustum, sedentem in lecto, quia decubitus in dorso omnis denegabatur, physiognomiam valde anxiam, respirationem gravem, sibilantem, difficilem, musculis thoracis et abdominis simul peragendam, abdomen expansum, hypochondrium dextrum sub adtactu dolens, in inferiori abdominis parte fluctuationem admodum obscuram, pedes simul oedematosi tumebant, febris modica erat, pulsus moderate frequens, aequalis, contractus, caloris et cutis conditio normalis. Collimatis omnibus symptomatibus collectionem serosam in cavo pectoris et pericardio ortam censuimus, cujus causam in refrigerio pluries capto jure posuimus. Hydropi et feбри activo opponimus therapiam antiphlogisticam Dt. gram. lb i. tart. tart. oxym. scill. Roob Samb. aa unc. β. Cucurb. sang. xii ad dorsum, cataplas. ad pectus et abdomen.

Levabatur quidem post cucurbitas, sed vespere anxietas pectoris iterum increvit cum tussi frequentiori, respiratione citata, obscura cordis palpitatione, et feбри majori, urina parca, mucosa. Pulveres ex digit. et vesicans ad pectus (30. Mart.). De nocte menstrua subito intravere larga saluberrima; ex hoc momento en-totam morbi faciem subito mutatam. Pulsus major, magis evolutus, pectus liberius, respiratio profundior, liberior, decubitus in latus dextrum quidquam concessus, sudor simul largus, menstruis largiter fluentibus omnia hydropis symptomata rapide decrevere; respiratio libera evadebat profunda; situs liber, abdomen et pedes detumescere urinis simul et sudoribus rite largis, physiognomia componebatur, perdurabat solummodo adhuc status activus in systemate sanguifero. Ad adjuvandum fluxum menstruum quidquam restrictum pulveribus sepositis, cucurbitae scarificatae femoribus apponebantur optimo cum effectu, nam aucto iterum

fluxu et decrementum morbi rapidius videbatur. Crisibus nunc per omnia colatoria insequentibus aegram mox reconvalescentem declaratam die 10. Aprilis sanam dimissimus.

Hepatitis cum subsequenti pneumonia.

Sutor 29 annorum, bis jam pneumonia correptus ultimo ante duos annos, ab hisce ut saltem videtur, perfecte sanatus (cum nec tussis nec aliud malum remansisset) ad modernum usque tempus sanissimus vixit. Die 19. Martii ex cubili calido aërem liberum petens horripilationes persensit, cremato sumto statim dolores in latere dextro, cum tussi sicca et feбри oriebantur. Die 21. Martii in Nosocomium susceptus praeter febrim inflammatoriam gradus sat alti, adpetitum prostratum, saporem limoso-amarum, vomituritiones, etiam dolores in latere dextro, in hypochondrio dextro et hepatis tumorem inveniebamus, inspiratio profunda vero concedebatur. Dt. gram. β isalis amari et Roob Samb. \overline{aa} unc. β ordinabatur, cum et causa refrigerium esset, et alvus ex tribus diebus haereret. Altero statim die (22. Mart.) tussis frequentior evadebat, sputa catarrhosa cum punctulis sanguineis mixta ejiciebantur inspiratione profunda tamen concessa, lobus dexter hepatis ultro dolet. Ob alvum quater motam sal amarus ex medicamine omittebatur; cataplasma ad regionem dolentem. Auctis symptomatibus irritationis inflammatoriae hepatis, dolores trahentes in brachio dextro, vomitus bilosus, dolores pungentes in hypochondrio dextro magis tumente hirud. viii ad regionem hepatis appositi et Dt. gram. cum pulpa prunorum et tart. tartar. praescribitur. Imminuebatur hac therapia inflammatio hepatis feбри vero eodem tenore perstante. Subito vero (25. Mart.) de nocte horror exortus, vehemens, aegrum concutiens, cum aestu subsequo majore et statim exorta valida pectoris oppressione ita, ut 26. hujus mane jam dextrum thoracem sub respiratione fere immobilem, tussim frequentiore, sputa magis san-

guine tincta, et febrim adauctam inveniremus. V. S. ad unc. VIII catapl. ad pectus. Dt. Alth. ℥j. nitri puri dr. j. ordinantur, qua sub therapia et inflammationem pulmonum decrescentem observavimus; haerente tamen adhuc respiratione pulmonis dextri, perstante tussi cum sputis sanguineis, nec febris infracta depletionem topicam sanguinis instituendam adhuc esse censuimus, qua de causa cucurb. sang. Nro. vi ad latus dextrum apponebantur (27. Mart.). Manifestum ex eo tempore morbi decrementum observavimus, quum et respiratio multo liberior et aequalis evaderet, sputa copiosa mucosa sanguine non amplius tingerentur, pulsus modice frequens mollis tangeretur, et oppressio pectoris cessaret. Omissis cataplasmatibus in medicamine continuabatur, donec 4. Aprilis afebrilem aegrum videremus. Stadium reconvalescentiae cito emensus die 13. Aprilis ab utroque malo liberatus, exivit.

F e b r i s n e r v o s a .

Operarius 28 annorum, constitutionis sat firmac, die 10. Aprilis nobis advchebatur. Anamnestica penitus latebant, cum conscientia orbatus falsa solum retulisset, nec ex cognatis aliquis adesset, qui de ipsius statu nos edocere potuisset. Febrim sat validam inveniebamus, cutim siccam, aridam, pulsum suppressum, frequentem, caput obnubilatum, vertiginosum, susurrum aurium, deliria fortia, respirationem citatam breviorum, tussi hinc inde interceptam, abdomen meteoristice expansum. Ex respirationis conditione et tussis praesentia ad originem morbi catarrhosum concludimus, non praetervidentes symptomata nervosa, febrim tamen nunc adhuc characteris subinflammatorii esse. Congestionibus simul ad encephalon apertis vesicans ad nucham, sinapismi ad suras applicavimus, interne: Dt. gram. ℥i tart. emet. gran. i praescribentes. Auctis mox symptomatibus catarrhosis cuti simul arida in systema cutaneum praesertim agendum esse cen-

sentes; balneum ordinabatur tepidum. Quamvis post hanc
 therapiam sudore largo prolicito et somno placido exorto
 status aegri quidquam emendaretur mox symptomata ner-
 vosa vehementius quam antea caput extollebant. Calor cutis
 inamoene augetur, lingua rubra fit et sicca, nares fuligi-
 nosae evadunt, susurrus aurium et baryecioia exoriuntur,
 tussis aegrum vexat fortis, sicca, respiratio profunda non
 conceditur, abdomen meteoristice resonat, in manibus
 motus conspicitur tremulus, alvus diarrhoica ruit materi-
 am nigricantem eliminans, urinae turbidae parum mucii
 continent, pulsus tamen moderate frequentes tanguntur,
 fortes, aequales. Praevalidentibus adhuc symptomatibus cat-
 tarrhosis, et nervosis adauctis simul exhibuimus pulv.
 Ipecac. $\frac{1}{4}$ gr. p. d. O. 2. h. (12. April.) Exinde caput magis li-
 berum, deliria minora, lingua humidior observatur, diar-
 rhoea magis silet; status in toto quidquam melior (13.
 April.). De nocte vero denuo omni vi insurgentibus sym-
 ptomata nervosa viribus conspicue imminutis, diarrhoea
 simul continuante, hinc ad methodum stimulantem transgre-
 diendum nobis erat, habito tamen semper respectu ad ori-
 ginem catarrhosam et congestiones ad encephalon et pul-
 mones. Inf. Valer. \mathbb{b} praescripta, pulveribus ex Ipecac.
 $\frac{1}{4}$ gr. p. camphorae p. d. addita (14. April.). Vesicans ad pec-
 tus. Aucta symptomata catarrhosa, tussis frequens, cum
 sputis tenacibus, crassis mucosis, congestiones ad partes
 superiores, facies rubens, calens majorem camphorae do-
 sim prohibuere, pulsus minor mollior, symptomata nervo-
 sa increscentia et vires imminutae stimulum fortio-
 rem expeterent. Miliaria simul in conspectum prodire. Inf. Va-
 ler. ob alvum pertinaciter diarrhoicam et tussim pulv. gg.
 unc. ii addidimus (15. April.). Sed semper pejor evadit ae-
 gri status, summa virium debilitas, deliria continua, cu-
 tis siccissima, lingua fere lignea, fissa, dentes obspurca-
 ti, deglutitio impedita, caput obnubilatum, continuus au-
 rium susurrus, pulsus frequens, debilis, abdomen meteo-
 risticum, alvus diarrhoica materiam nigricantem summe

foetentem evacuans. Ob congestiones camphora reposita (16. April.). Dt. flor. Arnic. inf. Valer. \overline{aa} lb β pulv. gg. unc. ii. Pulv. ex Moschi orient. opt. gr. iv. Ipecac. gr. ii o. ho. pulverem sumendum ordinavimus. Omnia in cassum tentata. Sub continuis deliriis et summa virium debilitate die 16. Aprilis vespere animum exhalavit.



M a j u s .

Aprilem pluviis madentem sequebatur Majus siccissimus pluviolis gratis recreantibus vix unquam interruptus, simulque calidissimus, ut Thermometrum Reaum. sub umbra grad. + 24 fere attigerit, regnavit haec tempestas aestiva ab ultimo Aprilis ad 22. Maji non interrupta serie, comitata spirantibus ventis Volturmo et Argeste sub magna semper Baroscopii elevatione, ab eo autem die pluviae largissimae cum explosionibus electricis in regionibus vicinis cadentes subito tantam induxerunt temperaturae vicissitudinem, imprimis nocte mane et vesperi, quae sanissimo cuivis ingratisissima fuit, eadem tamen perstante Barometri elevatione, iisdem adhuc, sed multo fortius flantibus ventis.

Medius Barometri status: 28. 4. 9.

Altissimus „ „ 28. 6. 9. die 25.

Infimus „ „ 28. 0. 8. die 1.

Medius Thermometri status: + 15. 88. R.

Maximus „ „ + 23. 8. die 17.

Minimus „ „ + 9. 5. die 31.

Venti hoc mense flantes continuo fluctuabant inter Euronotum et Argestem.

Pluviae cadebant diebus 3. 6. 7. 12. 22. 25. 26.

Explosiones electricae vehementes nullae.

Phases lunae ☉ 4. ☽ 11. ☿ 19. ☾ 26.

Majus 1833.	}	Intrarunt:	3059	} 2722	Majus 1832.	} 2254	} 2457						
		Dimittebantur:	3037					} 2116	} 1797	} 2219			
		Mortui sunt:	435								} 300	} 233	} 298
		Morib adl.:	21										
		Aprilis 1833.			Majus 1831.								

Calculus specialis mensis Maji anni 1833.

In 1. hebdom. intrar.	1062;	dimitt.	860;	mort.	126;	morib. adl.	2.
„ 2. — —	791;	—	788;	—	130;	—	7.
„ 3. — —	570;	—	630;	—	95;	—	6.
„ 4. — —	411;	—	574;	—	60;	—	5.
Ultimis 3 diebus	— 225;	—	185;	—	24;	—	1.
Summa totalis:	3059;	—	3037;	—	435;	—	21.

Media proportionalis pro quolibet die.

In 1. hebdom. intrar.:	152(151);	dimittebant.:	123;	mort.:	18.
„ 2. — —	113;	—	113;	—	19 (18)
„ 3. — —	81;	—	90;	—	14.
„ 4. — —	59;	—	82;	—	9.
Ultim. 3 dieb. —	75;	—	62;	—	8.
Media proportional. } pro toto mense. }	99;	—	98;	—	14
Maximus aegrorum numerus	187;	intravit die	7.		
Minimus — —	41;	—	24		
Maximus mortuorum —	27;	fuit	11.		
Minimus — —	5;	—	23. et 26.		

Epidemia catarrhosa, quae tanto in gradu imperium suum mense elapso exercuit, primis mensis Maji diebus ad acmen evecta est, quod minus aegrotantium numero, quam morborum singulorum majori intensitate et charactero magis inflammatorio manifestam vidimus; decrescente dein catarrhi imperio versus mediam mensis partem, cha-

racter gastrico nervosus utpote stationarius, et per epidemiam intercurrentem obvelatus, denuo in lucem prodiit biliosam persaepe, favente tempestate calidiore, amans complicationem, ita, ut altero mensis dimidio gastrico-biliosa symptomata catarrhosis saepe adhuc mixta, orgasmus sanguinis ad caput, et undulatio quasi inter activum et adynamicum characterem permultos distinxerint casus in sectionibus nosocomii tractatos, nec adeo rarus a nonnullis traditur in profusiores diarrhoeas nisus. Versus finem mensis subitanea atmosphaerae in frigidiorum asperiorumque mutatione rheumaticae adfectiones paucorum dierum spatio frequentiores visae.

Summam attentionem epidemia, *Influenza* nimirum meretur, cujus influxui primo mensis dimidio maxima morborum pars originem debebat:

Quam exeunte Aprili prae se tulit faciem adhuc benignam, mox cum pejore commutare inchoavit. Primis statim Maji diebus frequentiores in conspectum prodire laryngis, tracheae, et bronchiorum inflammationes per vocem raucam, imo per plenariam nonnumquam aphoniam, sensum pressionis, titillationis, aspredinis vel et puncturium in partibus adfectis per tussis propriam indolem sese manifestantes. Afferebantur dein ad Nosocomium aut evolvebantur in ipsis sectionibus saepe absque ansa cognita e mero quasi epidemico influxu pleuroperipneumoniae frequentes proprii quodammodo characteris et decursus, etenim vel primariae, vel, quod multo frequentius observari licuit e febris catarrhose epidemica sub regimine incongruo protracta evolutae, plura a consueta pneumonia obtulerunt discrimina: inter febrim primo et adfectionem topicam pulmonum non rita persaepe spectabatur proportio; summae pectoris oppressioni non respondebat pulsus frequentia moderata, urinae nec jumentosae, nec flammiae saepe vix tinctae, physiognomia alia quam in pneumonia tanti gradus esse solet; tussis nunc minus emittens, nunc pneumonica ejus desiderabatur indoles; in sputis sanguis magis fluidus et resolutus ut plurimum videbatur,

memoratu digna etiam interdum observatio facta, quod respiratione anxia, laboriosa, brevi, abdominali magis thorace fixo peracta praesenteque notabilis ponderis pectus gravantis sensu inspirium profundius non adeo impeditum esset, quam alias pneumoniae legitimae conveniret. Sanguis e vena missus cito coagulatus, ad plures lineas saepe crassam obtulit crustam lardaceam, cruore subjacente minus tenace, nigricante saepe et gelatinoso. Ubi benignior decursus post aliquot dierum spatium, morbus, fracta ejusdem vi, recedentibusque symptomatibus primariis, sudoribus largis, sputisque tenacibus, coctis, croco quasi plerumque tinctis, rarius urinis criticis judicatus; miliaria quoque jam symptomatica, jam critica hinc inde visa; apud feminas etiam catamenia anticipantia proficuum aliquoties habuisse influxum observatum est. De croceis istis, et vitello ovi multum aequantibus sputis notandum, quod circa dimidium mensis per decem circiter dies in aegris plerisque etiam simplici catarrho detentis obviam venerunt, quin alia adfectionis biliosae adfuerint signa. Quamvis in genere epidemicae hae pneumoniae decursu quidem pertinaci, non adeo maligno tamen distinguerentur; traduntur etenim casus septem imo novem venaesectionibus tractati, et ad prosperum perducti exitum — et hujus quoque exitus sive sub decursu acuto hydrothorace, pulmonum oedemate, hepatisatione eorumque paralyti; sive sub decursu lento in casibus ad speciem fallacem levioribus clandestine evoluta phthisi et hepatisatione quodammodo a consueta inflammatoria differente, inductus non deerat. Saepe etiam et inflammatoriam morbi epidemici formam et simplicem diuturnus excepit status quasi valetudinarius jam afebrilis, jam modica febricula comite, dysphoria, languore, gastrismo pertinaci tussi interdum et barycoia junctus, pro re nata jam in perfectam salutem, jam in funestam abiens phthisim, jam in lethalem febrim adynamico-nervosam, parotidum hinc inde junctam inflammatione.

Therapia pneumoniis istis opposita *antiphlogistica* generosior: venaesectiones iteratae, hirudines, cucurbitae c.

scarificatione, interne Nitrum serius Digitalis cum tartaro stibiato ad grana duo — quatuor intra nychthemera, Calomel quoque hinc inde proficuum visum, non neglecto cataplasmatum, sinapismorum vesicantiumque rationali applicatione; Camphorae tandem justo tempore usus suam sibi promeruit laudem.

Sectiones cadaverum ruborem fere scarlatinorum bronchiorum et tracheae ad laryngem usque ascendentem, pulmones sanguine obrutos, nunc oedematosos, nunc infarctos, hepatisationem tamen a legitima phlegmonosa quodammodo differentem, parenchyma nimirum magis griseum, pallidum, lympham minus tenacem, mucum, purem et sanguinem resolutum infarctum, seri vel et lymphae variam copiam in thoracis cava effusam prodiderunt.

P n e u m o n i a.

Femina 28 annos nata, nullo hucusque morbo tentata, ex tribus mensibus amenorrhoea laboravit.

Primo hujus mensis febris valida corripitur c. oppresione pectoris et vomitu bilioso. Laboribus semper incumbens tandem vi morbi in dies aucta die 12. Maji Nosocomium petere coacta fuit. Pneumoniam levioris gradus et decrementum jamjam attingentem adesse agnovimus simul cum nota aperta biliosa, quare vena secabatur ad unc. viii. et nitrum in Dt. emollienti ordinabatur.

Levamen insecutum est post venam tusam, tussis minuebatur, sputa ad puriformia accedebant, pulsus vero nec morbo nec constitutioni aegrae respondens, tangebatur moderate frequens, aequalis vix a normali abludens, quo similitudo cum modernis pneumoniis luce clarius patebat. Decimo sexto crisis in urinis sedimentosis conspiciebatur, quae sequentibus diebus ultro pergebat, ita ut 17. Maji nitrum omitti, et 21. Maji sana dimitti potuerit.

E reliquis morbis *febres gastricae, gastrico-biliosae, et nervosae* notatu dignae altero mensis dimidio Influenza cessante, frequentiores; nervosae cutis functione torpida

et congestionibus encephalum opprimentibus distinguebantur; *febres intermittentes* quoque *tertianae*, rarius *quotidianae* in conspectum prodire numero non tantae, nec facile hepatis aut lienis infarctus gignentes, et sulfati Chininae, aut tonice - solventi virtuti cito plerumque cedentes.

Ex *inflammationibus* praeter descriptas pneumonias, *hepatitides*, altero mensis dimidio regnante tempestate aestiva frequentiores, non pertinaces.

Exanthemata rara, morbilli et scarlatina sporadicae hinc inde, variolae in dies rariores. Aliquoties etiam *exanthema singulare*, quoad formam ad scarlatinam accedens, decursu tamen alieno et defectu desquamationis distinctum, visum. *Erisypelata faciei* et pedum non rara. *Haemorrhagiae* narium, pulmonum, uteri frequentiores.

E *cachexiis phthisis* plurimum eminebat, cujus per Influenzam dirum in modum aucta vis, multas Orco tradidit victimas; *hydrops* nisi phthisi accessorius, non frequens. Aliae morborum formae, ut et *Nevroses* non eminebant, colica pictorum nota gastrico - biliöse juncta, hinc inde visa.

Singularis praeterea nisus morborum in metastases, qui hoc mense observationi sese obtulit, adhucdum mentio facienda. Morbi epidemici gradus altioris et medii saepe terminabantur derepente exorta in aliqua corporis plaga inflammatione citissime in suppurationem transeunte. Non raro in morbis aliis febrilibus imo et non febrilibus et in his post febrim aliquot dierum exoriebatur materiae purulentae collectio magnam interdum textus cellulosi partem devastantis; conspiciebantur in multis aegris ad finem morbi phlyctaenulae diversae magnitudinis materia puriformi repletae, basi vix inflammatae insidentes. Transitus multarum affectionum inflammatoriarum pulmonum inexpectatus in phthisin pulmonalem, celer harum decursus, rapidum catarrhorum chronicorum incrementum, mors cita ejusmodi aegrorum suppuratione inducta eundem nisum qua causam agnoscere videbantur.

Carditis initians.

Ancilla 25 annorum, constitutionis quidquam tenerae, ex secundo hujus mensis refrigerio, uti ipsa putavit, capto, dolore pungente lateris sinistri corripitur cum febre leviori; 3. hujus mensis increscente morbo Nosocomium adiit, ubi febre levioris notae indolis rheumaticae et doloribus ad latus sinistrum pungentibus opponuntur Dt. Altheae c. inf. liquir. et hirud. IV. plagae dolenti apponendae. Insigni post sanguinis topicam depletionem levamine insecuto, de nocte morbus subito aliam inducit faciem: cardiopalmus in conspectum prodit vehemens ad secundam costam usque ascendens, anxia redditur aegra, pallida facies, pulsus plenior, durior, aequalis tangitur. Absentibus nunc omnibus pleuritidis aut pneumoniae symptomatibus ex allatis ad initiantem carditidem concludentes V. S. ad unc. viii. fieri curavimus et pro medicamine Dt. Altheae c. nitri drach. i. et oxymelis simpl. unc. β . praescripsimus. In sanguine misso nulla phlogoseos signa.

Pulsus post V. S. liberior, palpitatione cordis extensione quidquam imminuta, intensitate potius increvit. In alvum hinc magis agendum nobis esse putantes, ut sanguis a partibus superioribus magis derivetur, Loco nitri tartar. drach. sex medicam. addidimus. (7. Maj.) Alvo ter insecuta palpitatione cordis tantillum minuebatur, sed nox inquieta, insomniis turbata et concussionibus interrupta majorem sanguinis ad cor nisum adhuc luce clarius ostendebant, quare duos sinapismos suris imposuimus, et causam morbi rheumaticam non obliviscentes emplastrum Euphorbii ad 2'' longum et latum dorso applicuimus; simul afebrilis lectum deseruit. Pulsu tamen semper adhuc irregulari, et citato, cardiopalmu simul non penitus cessante, pulv. ex gran. β . Digit. omni 2 hor. ordinabantur (9. Maji) vesicans brachio utroque apponebatur. Sed pro momento solum his omnibus morbus cessit, hinc stimulo fortiori ex-

terno opus erat, quare (16. Maji) cucurbitae sanguineae viii. dorso imponebantur.

Nunc tandem vis morbi fracta.

Aegra ex 8. jam afebrilis nunc et cardiopalmu liberata, et pulsu normali gaudens 18. hujus mensis sana Nosocomium reliquit.

Hepatitis cum ictero effectivo.

Ancilla 24 annos nata, febrī nervosa et intermittente cum subsequis infarctibus hepatis jam tentata, die 8. Martii sumto majori in quantitate potu anglico (Punsch) febrī corripitur cum omnibus hepatitis symptomatibus, quam mox emulso, mox Dt. gram. et hirudinibus vi. hypochondrio dextro appositis — regimine caeterum non servato — frustra debellare tentarunt. Febrī et symptomatibus topicis adauctis — ictero simul 20. Martii evoluta — tandem 23. ejusdem mensis Nosocomium adiit, ubi Dt. gram. c. sale amaro et pulpa prunorum aa unc. β. pro medicamine, cremorem tartari potui admiscendum accepit, hypochondrio dextro tumentis et dolentis vero hirud. viii. et cataplasmata emollientia imponuntur, quae topica sanguinis depletio 24. vespere repetitur. Recedentibus hac therapia symptomatibus inflammationis, febrī fere omni silente ad infarctum notabilem hepatis ad 3 digitos ultra costas prominentis solvendum, sale amaro ad drachm. ii. restricto, medicamini extract. chelidonii majoris scrup. i. additur, et unguentum cinereum ter de die regioni hepatis inungendum jubetur. Sed 30. Martii bilis ejicitur vomitu, qui 31. quater insequitur largus, levans, dolore decrescente, colore flavo imminuto quidem, sed in terreum vergente. Ad vomitum, qui criticus nobis quasi videbatur, adjuvandum, solutio tart. emet. gr. i. in unc. ii. aq. destil. (1. April.) cochleatim propinata, quam largae bilis aeruginosae ejectiones cum euphoria sequuntur. Seposito omni priori medicamine interno, abacta quidem nunc omni inflammationis nota, duritie hepatis vero perstante et viribus aegrae

valde dejectis medicamen tonico - solvens in auxilium vocabatur (4. April) Dt. taraxaci c. extr. tarax. quo sumto lente tumor hepatis imminui incepit, viribus vero semper admodum languentibus, quare vini parum quantitas concessa, balnea universalia simplicia simul nunc adhibentur. Vix reconvalescentiae limites nunc attingere videbatur, quum salivatio ex unguenti cinerei inunctione se insinuari incepit, qua tandem abacta ad medicamen fortius roborans transgressum fecimus, sperantes fore ut citius pristinas recuperare posset vires. Ordinavimus Infus. chamom. unc. iv. c. ext. Chinae gr. X (5. Maji) cujus dosim ad scrup. i. auximus. Septimo Maji merum Dt. Chinae ad unc. viii. praescribentes; sed non hanc exiguam roborantis dosim ferre misera valuit, nam et epigastrii oppressionem et diarrhoeam inde exortam vidimus, hinc sine medicamine illam reliquimus, victum eupeptum solum, et motum moderatum in aëre libero cum balneis tepidulis ipsi ordinavimus, quibus revera ita recreabatur aegra, ut 13. Maji sana Nosocomium relinquere posset.

J u n i u s .

Maximam Junii partem tempestas distinguit sicca, calida, serenaque, frequentius tamen quam Majo pluviolis gralis interrupta, temperatura notabilis per totum mensem maxima versus finem ejusdem ita, ut ad 29° R. ascenderet Thermometrum. Baroscopium medium prae se tulit vicissitudinem, rarissime infra 28.° cadens, licet medius ejusdem status, illum quem observationibus 15 annorum pro hoc mense confirmatum habemus, non attigerat.

Medius Barometri status: . . . 28." 2.'" 11.'"'"

Altissimus ,, ,, . . . 28." 6.'" 5.'"'" die 9.

Minimus ,, ,, . . . 27." 10.'" 6.'"'" die 4.

Maxima vicissitudo intra nychthemera ultra 4.'"'" die 15.

Medius Thermometri status: + 16. 42.° R.

Maximus ,, ,, + 28. 9.° R. die 30.

Minimus ,, ,, + 8. die 4.

Vicissitudo maxima intra nychthemera 11. 5.

Altissimus Hygrometri status: 99. 50. : 14. 83. die 18. et 23.

Infimus ,, ,, 93. 78. : 11. 95. die 21.

Vicissitudo maxima intra nychthemera 4. 97. die 21.

Venti flabant plerumque placidi rarius uti 4. 14. 26. 28. quidquam intensiores; sub initio mensis N. W. regnabat, idem dein alternabat cum S. O., qui versus finem imperium sibi adrogavit.

Pluviae cadebant 4. 9. 12. 15. 27.

Phases lunae ☉ 2. ☾ 10. ● 18. ☾ 24.

Junius, 1833.	}	Intrarunt:	1922	Majus, 1833.	}	3059	Junius, 1832.	}	2112	Junius, 1831.	}	2540
		Dimittebantur:	1774			2037			1878			2311
		Mortui sunt:	286			435			289			309
		Morib. adl.	10			21						

Calculus specialis mensis Junii anni 1833.

In 1. hebdom. intrarunt:	447;	dimitteb.:	400;	mortui	70;	morib.	—
— 2. — —	482;	—	440;	—	61;	—	2.
— 3. — —	479;	—	396;	—	67;	—	5.
— 4. — —	405;	—	413;	—	69;	—	3.
Ultimis 2 diebus	109;	—	125;	—	19;	—	—
Summa totalis:	1922;	—	1774;	—	286;	—	10.

Media proportionalis pro quolibet die.

In 1. hebdom. intrarunt:	64;	dimitteb.:	57;	mort. sunt:	10.
— 2. — —	69;	—	61; (65)	—	9. (11)
— 3. — —	68;	—	57; (65)	—	10.
— 4. — —	58;	—	59;	—	10.
Ultimis 2 diebus	54;	—	62;	—	10.
Media proportionalis pro quolibet die }	64;	—	59; (66)	—	10.
Maximus aegrorum numerus;	100;	intravit die	4.		
Minimus — —	43;	—	7.		
Maximus mortuorum numerus:	16;	fuit	20.		
Minimus — —	5;	—	16. et 23.		

Genius stationarius *gastro-dynamicus*, qui, disparente Influenzae dominio, denuo luculentior in conspectum prodiit, in mensis Junii morbos ultra imperium exercuit, sibi que primo mensis dimidio *catarrhoso-biliosum*, altero *rheumatico-biliosum* adsumtum obtulit characterem lateralem; unde jam evidens fit rarissime morbos puro, fere omnes

contra mixto caractere insignitos fuisse, praevalente tamen plerumque gastrico, et conspicuo plerumque in characterem adynamicum nisu. Ultimis mensis diebus plures inflammationes originis rheumaticae serosas plerumque tenentes membranas, et gastrico-biliosa nota complicatae obviam venerunt, sed et in harum decursu aliquis in adynamiam nisus detegi persaepe potuit, aliqui etiam occurrebant casus in characterem putridum inclinantes.

Decursus lentus, irregularis, cutis functio, et naturae medicatricis reactio languens, aut inordinata, pertinax in sanguinis congestiones nisus jam capitis, jam pectoris rarius abdominis organa hinc inde alternatim in uno eodemque individuo petentes; crisiū solennium defectus, et tarda reconvalescentia praecipua sunt, quae Genium hujus mensis insuper distinxerant.

E numero morborum hoc mense tractatorum *febres gastricae, gastrico-biliosae et gastrico-nervosae* longe maximam constituunt partem, *catarrhosae et rheumaticae* rariores, eaeque gastrica ut plurimum complicatione junctae; casus, formam sub Influenzae influxu regnantem quodammodo aequantes deficiente rita febris ad respirationis molestias relatione praevalente bronchiorum adfectione, sputisque croceis, aut vitello ovi similibus distincta, sporadice adhuc visi.

Praeprimis *febres nervosae* frequentes conspicuae, in decursu et duratione stadii nervosi omni desiderato typo, remissionis luculentae omnium symptomatum, cum exacerbationibus novas quasi recidivas aequantibus alternabant, prae ceteris autem sanguinis ad encephalon congestiones in plerisque casibus molestum atque periculosum praestiterunt phaenomenon activae ab initio, passivum dein saepe induentes characterem, hinc inde cum fatali ad pectoris organa orgasmo alternantes; occurrebant etiam casus diarrhoea gastrico-biliosa profusiore distincti, in gravioribus casibus cutis laxa, atonica, sicca, leucophlegmatica aut vere oedematosa, minus mali omnis cutis jam sicca, jam humescens, vel et albis tecta miliaribus observabatur.

Visus quoque attamen rarius character nervoso-putridus, haemorrhagiis passivis, alvo quoque dysenterica, sudoribus profusis, viscidis, miliaribus, cantharidumque excoriationibus cutaneis gangraena foedatis, sese manifestans.

Decubitus gangraenosus, etiamsi caeterum character putridus deficeret, aliquoties morborum periculum auxit, vel et reconvalescentiam incredibilem in modum procrastinavit. Nervosis his febribus methodus medendi alterans cum minimo aut nullo stimulo roborans, cutis functionem incitans, et congestionibus imprimis prospiciens opponebatur, eaque cautum et circumspectum sibi exegit medicum. Ipecacuanha, acida diluta mineralia, et vegetabilia, lotiones cutis cum aqua aut aceto, sinapismi et cantharides, hirudinum et epithematum glacialium ad caput adplicatio primum tenebant locum. Colombo, radix et flores Arnicae suo loco conduxerunt. Camphorae hinc inde et Valerianae cautum usum congestiones exegerunt, corticis peruviani usui gastrismus et diarrhoea saepe oberant.

Febres intermittentes quotidianae et tertianae rariae, originis gastrici, facileque sanatae, non semper Chinae usum exposcebant.

Inflammationes in genere rariae, phlegmonosae vix ullae, paucae quae aderant membranas tenebant serosas, hepar, uterum cum ovariis, et ultima solum mensis hebdomade plures eminebant rheumaticae originis, *pleuropneumoniae*, *articulorumque inflammationes*. Gastrica phaenomena, congestiones sanguinis nisusque aliquis in adynamiam etiam in his animadvertebatur, exitus tamen, ut plurimum faustus, crises per sudorem conspicuae alia via deficientes.

Uteri et ovariorum inflammationes acutae et chronicae magis quam aliae pertinaces infarctum persaepe magnae molis reliquerunt tumorem. Encephalitides et meningitides plures.

Exanthemata in genere rara, *morbilli* hinc inde oc-

currebant, *scarlatina* rara, *variolae* altero mensis dimidio frequentius occurrebant plerumque modificatae, in puerperis aliquoties perniciosae, *erysipelas* faciei pedumque saepius visum.

Haemorrhagiarum eadem frequentia ac mense praegresso, haemoptoë profusae in phthisicis imprimis.

Inter cachecticos morbos prae aliis *phthisis* eminebat, magnum miserorum numerum Orci faucibus tradens, utpote frequentes Influenzae praegressae victimas posthumas; decursus tamen ipsius phthiseos minus rapidus ac mensibus elapsis visus. *Hydropes* frequentiores ac Majo saepe erroneas crises referentes, decursu segni pertinaci insigniti, hinc inde sub mediocri diuresi non decrevit, aut plane incrementa cepit hydrops. Scorbutus nisi interdum hydropis aut phthiseos comes, secus remediis et diaeta congruis parum resistens.

Nevroses in genere non raras, et in dispositis spasmi aliaque nervosa symptomata saepius observabantur.

Denique *cordis morbi*, catameniorum anomalia saepissime juncti, uti et systematis uterini variae affectiones organicae magis quam consuetim eminebant.

Febris nervosa cum congestionibus ad encephalon.

Famulus 27 annorum, constitutionis sat firmae, ex 3 septimanis jam catarrho febrili vexabatur, quem vero sub diu semper versans imo itinera hinc inde suscipiens, plane neglexit. Tandem die 11. Junii ob morbum rapide progredientem Nosocomium intravit, et susceptus symptomata febris nervosae nobis obtulit, licet nota quaedam inflammatoria non desideraretur.

Inveniebamus enim calorem moderate adauctum, cutim subsiccam, pulsum moderate frequentem, plenum, duriusculum, vix suppressendum, aurium susurrum, linguam siccam fissam in medio; in pectore et extremitatibus exanthema maculosum morbillis analogum, abdomen meteoristicum, sinistrum hepatis lobum quidquam duriusculum, sensilem, alvum fluidiorem, urinas turbidas. Conge-

stiones simul ad encephalon ex majore capitis calore et injecta oculorum conjunctiva luce clarius emergebant. Cum et congestiones et pulsuum conditio stimulantium usum arcerent, systemati tamen nervoso prospiciendum esset therapiam alterantem et derivantem selegimus, praescribentes: Inf. Ipecac. c. pulpa prunorum, pro potu: acid. tart., simul epithemata frigida capiti, cucurbitae sex nuchae et intra scapulas, sinapismi ad suras applicabantur. Sequentibus duobus diebus morbus eodem tenore perstitit, sed de nocte $\frac{1}{2}$ sopor se insinuavit, alvus fluida sexies deponebatur, viribus simul rapide decrescentibus et pulsu molli stimulantia dictabat fortiora.

Ordinabatur igitur Inf. Ipec. cum extr. flor. arnicae et mucil. gg. arab. et camphorae $\frac{1}{4}$ gr. p. O. 2. h. porrigebatur, pp. Dt. Salep. c. acid. sulf. diluto, epithematibus frigidis sedulo continuatis. Increcente nihilominus debilitate, sopore aucto et congestionibus pro momento imminutis $\frac{1}{2}$ camphorae dosis ad gr. β . auximus, vesicante nuchae appposito. Ultra tamen tramite suo decurrebat morbus, augetur sopor; ore hiante, dentibus conspurcatis, lingua sicca, fissa, nigra decumbit aeger foetorem ingratisimum spargens et automaticè manus capiti admovens, qua de causa $\frac{1}{2}$ Moschum camphorae junximus ad eandem dosim, porro: Infus. valerianae et serpentariae cum extracto flor. arnicae scrup. ii et liquor. Hoffm. dr. i praescribentes. Sed vires ultro decrescunt, mox pulsus solum tremulus tangitur et lusus tendinum continuus, sopor non minuitur, congestiones perseverant, imo ex medicamentis auctae videntur; hinc serpentaria et camphora omissa denuo vesicantia retro aures ponuntur, et quia tussis $\frac{1}{2}$ de nocte ingruebat cum respiratione breviorè et citatiore cataplasmata levia pectori imponantur. $\frac{1}{2}$ tandem sub congestionibus validis ad encephalon et pulmones, sub motibus nervosis continuis moriebatur aeger.

In cadavere secto cerebri substantia tenax punctis sanguineis multis notata inveniebatur, in ventriculis multo sero rubro repleta vasa arachnoideae sanguine nigro

plena in cavo pectoris et pericardii multum seri rubri; pulmones sanguine nigro repleti, pulmo sinister quidquam oedematosus, lien friabilis, hepar pallide flavum, intestinorum membrana mucosa erosionibus lividis hinc inde notata, intestina aëre summe foetido, multum expansa.

Variolae cum morbo maculoso Werlhofii et hepatitis.

Lotrix 21 annorum, corpore robustissimo gaudens, in domicilio depresso et humido degens, die 8. Junii subito de lassatione universali, cephalaea, vertigine, febricula corripitur, quin causam assignare valuerit, simul dolores in osse sacro et diarrhoea se insinuavere. Altero jam die stigmata in conspectum prodeunt variolarum praecipue in abdomine et ad axillas, quae vero nec legitimo more erumpunt, nec ad normam evolvuntur, imo maculas solum referunt lividas, paullulum elevatas, sanguine suffusas in manibus solum ad pustularum formationem sese evehentes; una cum his in pedibus petechiae prodeunt confertae. Ad Nosocomium delata $\frac{1}{2}$ praeter memorata exanthematis signa febrim sat validam exhibuit, pulsum frequentem, densum, respirationem profundam, hepatis regionem dolentem, tumidam, sedes fluidas, faeces cum sanguine mixtas continentes, metrorrhagiam ex duobus diebus perstantem.

Morbus pro morbo maculoso Werlhofii agnotus est cum variolis anomalis et hepatitis symptomata; prognosis ob funestam complicationem, ob eruptionem variolarum jam irregularium et statum virium flebilem tristissima facta fuit. Ordinabatur: Dt. Chinae et tarax. aa lb. β . c. extr. tarax. dr. i. et camphor. rasae gr. ii. potui acid. sulf. dil. admiscebatur; extremitates aceto vini o. 2. h. lavabantur, et sinapismi intra scapulas apponebantur; de nocte ob auctam haemorrhagiam aluminis gr. i o. 2. h. porrigebatur et Dt. Ratanhiae cum aqua et syrupo cinnamomi, simul enema glaciale ob alvum sanguinolentum injiciebatur. Altero die statu tristissimo perseverante, metrorrhagia et alvis sanguiferis continuantibus, viribus omni momento labentibus, cum pulsus parvus, debilis

tangeretur et variolae sero livido repletæ non ultra eveherentur camphoræ dosis ad gr. iv. augebatur, et injectiones frigidae in vaginam cum epithematibus frigidis ad genitalia ordinabantur. Sed in cassum. Sors iniqua aegram $\frac{1}{4}$ morbi 7. rapuit.

Colica gastrica in pictore.

Pictor 25 annorum, ter simili ac nunc malo affligebatur, ex influxu nocivo opificii scaturiente. Octo abhinc diebus lassari incipiunt artus, incessus difficilis redditur, dysphoria orditur morbosa, ciborum concupiscentia deletur. His cunctis diebus sequentibus dolores in abdomine remittentes, regionem omphalicam praeprimis infestantes, ad regionem iliacam et ultra sese protendentes, et alvi segnities accedunt.

Die 15. adeo ingravescent, ut laboribus, quibus diebus praegressis adhuc operam navaverat, valedicere coactus fuisset. Sequentibus symptomatibus onustus die 17 vespere Nosocomium petiit: facies adnataque oculi et lingua flavent, os amarum adcusatur, nausea summa, gingivae tumunt, pallent, retractae aspiciuntur, halitus graveolet, respiratio sana, abdomen tensum, attactum respuens, dolens, umbilicus retractus, anus et scrotum sursum trahuntur, surae tensae, in extremitatibus inferioribus dolores tensivi praesertim ad suras, quarum attactus summe dolorificus accusatur, alvus clausa, urinae limpidae, parcae, spasticae, pulsus normalis. Circa vespertinas horas remissio quaedam dolorum post alvum motam faeces duras, conglomeratas scybalosas continentem, et post vomitum ter insequutum materiei viridescens, acerbae, aquosae. Morbo pro colica gastrica cum nota saturnina ex opificio scaturiente agnito, methodus antigastrica evacans qua optima placuit hinc: Dt. gram. c. sale Seignett. et pulpa prunor., cataplas. et enemata emollientia ordinabantur, quod vero medicamentum $\frac{1}{8}$, quum vomitus unus biliosus accessisset, cum euphoria subsequenti cum Dt. graminis et gr. iii tart. emet. conjungebatur. Et ultro

tribus vicibus bilis affatim ore regurgitatur cum levamine dolorum abdominalium; sed in extremitatibus inferioribus vespere dolores augentur a genibus ad plantas usque migrantes aegrum summe cruciantes, $\frac{2}{3}$ balneo tepido immittitur aeger, hir. viii epigastrio apponuntur, et venter linimento volatili c. tinctura opii inungi curatur. Nihilominus malum $\frac{3}{8}$, 11. morbi adeo increvit, ut insultus epilepticus vehemens per 10 fere minuta durans aegrum convelleret. Omisso nunc priore medicamine ob alvum iterum pertinaciter haerentem olei Ricini rec. unc. ii. quatuor dosibus sumendas jussimus, quod alvus ter excipiebat. $\frac{3}{8}$ vespere epilepticus insultus denuo repetitur minoris tamen intensitatis, hinc $\frac{2}{4}$ sinapismus columnae vertebrali applicatur. Ultimo hoc insultu vis morbi fracta quasi videbatur, nam alvo nunc ex ultima olei dosi regulari reddita, symptomata gastrica minuta, illa systematis nervosi affecti plane deleta apparuere. In complementum curae Dt. taraxaci c. infuso Sennae et pulv. flor. sulfuris porrigebantur, quibus per aliquot tempus usis die 4. Julii sanus dimittebatur.

Scorbutus Creosoto sanatus.

Operarius 58 annorum, vitam summe egenam ducens, ante quatuor hebdomadas doloribus in suris cum gradiendi difficultate corripitur, quibus, cum simul gravi pectoris oppressione affligeretur, larga venaesectione mederi credebatur. Fractu temporis augebantur dolores, et simul peticulos scorbuticos in toto corporis ambitu conspiciendos in consortium traxerant. Tali sub rerum statu Nosocomium die 11. Maji intrare cogeatur.

Susceptus tristem imaginem referens effectus vitae miserae, squalebat toto corpore, gingivae tumidulae observabantur, pallidae, halitus foetidus, appetitus prostratus, cutis laxa, frigida extremitatum praeprimis maculis scorbuticis lividis parvis obsessa, surae tensae, tumidae, dolentes, quare incessus admodum arduus. Respirationis, pulsus et ventris officia normalia cernebantur.

Dt. tarax. c. acid. sulf. diluto.
 pro potu: Dt. Malthi et turionum pini
 cum succo citri.

pro collutorio: Infus. salviae cum
 acido sulf. dilut.

Altera statim die $\frac{1}{3}$ remedium novum in similibus malis ab inventore D. Reichenbach encomiis quam maxime elatum, aquam Creosoti, tentari proponebatur. Praescribatur secundum formulam D. Reichenbach: Aq. Creosoti unc. ii. ea ratione paratae, ut partes 2 Creosoti puri in 100 aquae partibus solutae fuissent. Sed ob saporem fere causticum, quum ipsa lingua assumpta parva jam dosi albesceret, a minori dosi ordiendum erat, hinc unc. i aq. Creos. in lb i Dt. Salep praescripsimus, reliqua omnia seponentes, solo collutorio ex inf. salviae et acid. sulf. dil. adhuc utentes. Ad unc. iv aq. Creos. usque adscendebamus. Revera notabilem exinde effectum observavimus. Quum vero invite ob saporem nauseosum aeger medicamen sumeret, et in lingua epithelium sponte secedentem observaremus, sub forma pillularum praescripsimus $\frac{2}{3}$

Creosoti gtt. xx

Extr. liquir.

Pulv. — \overline{aa} q. s. u. f.

pill. 20

Omn. 2. h. pill. 3.

Sub usu hujus remedii morbus mox solvebatur ita, ut aeger 4. Junii sanatus dimitteretur.

Sanatum igitur intra spatium 23 dierum per Creosotum videbamus scorbutum gradus mediocris. Quamvis hoc experimento vis hujus praeparati antiseptica extra dubium ponebatur, illud tamen monendum, quod vis Creosoti medicatrix nec alia, nec major se praebuerat, quam illa acidi pyrolignosi, et quod scorbutus hujus gradus acidis mineralibus, imo et solo succo citri cum regimine et diaeta justa juncta sanatum aliquoties jam in Nosocomio univ. et Clinico nostro observandi, occasio mihi praesto fuit.

Theses defendendae.

I.

Cognitio morborum endemicorum sicut ea genii epidemici medico practico perquam necessaria.

II.

Tractamen ulcerum sola aqua omni ratione rejiciendum.

III.

Differt lues medorrhoeica a lue syphilido-phagedaenica.

IV.

Operatio synchondrotomiae arctis cingenda limitibus.

V.

Cura angustationis ductus naso-lacrymalis filo plumbeo peragenda omnibus aliis methodis praeponenda.

VI.

Existit abortus epidemicus. Hippoc.

VII.

Causticum actuale non semper potentialis locum sup-
plere valet, et vice versa.

VIII.

Typhus contagiosus a febre nervosa essentialiter differt.

IX.

Non datur febris miliaris substantiva.

X.

Vesicantia somnum et faciunt et arcent.

XI.

In morbis psychicis methodo alterante vix ulla melior.

XII.

Medicina forensis in casu dubio praeferat parcere nocuo, quam punire innocuum.

XIII.

Dantur morbi saburrales, qui ab usu purgantium augentur.

XIV.

Morbi infantum etsi nervosis stipati symptomatibus saepissime tamen aliis quam nervinis tractandi remediis.

